




368












3.6.8



QVAESTIONVM GRAMMATICARVM LIBRI . IIX

Ex probatissimis Auctoribus collecti

A

NICODEMO . FRISCHLINO

POETA . LAVREATO

COMITE . PALATINO . CAESAREO





VENETIIS . ∞ DXXCIV


ÆTATIS SVÆ XXXI
H·15·78·R



MAGNIFICIS. GENEROSIS NOBILIBVS. AC. STRENVIS VIRIS DD· PROCERIBVS TRIVM. PROVINCIARVM STYRIAE. CARINTHIAE. ET. CARNIOLAE SERENISSIMO ARCHIDVCI· CAROLO A. CONSILIIS SVIS. DOMINIS S. P. D.

Nicodemus Friſchlinus.



CIO ego, Viri Magnifici, ac Nobiles, ueſtrum pleroſque eſſe magnopere admiraturos, quid ſit, aut quid ego mihi uelim, quod poſt tot clariſſimos Grammaticos, hoc tempore in medium ueniam, & nouas de hac arte regulas iuuentuti praeſcribam, ac modo non cornicum oculos configam. Nam, ſi quis

ingentem illam, tam ueterum, quam recentium Grammaticorum cateruam inspiciat: quae hodie non modo omnium scholarum limina obsedit: sed etiam omnium bibliopolarum tabernas compleuit: possit haud dubie dicere, tot esse hodie libros Grammaticos, quot sint illustriores in mundo scholae. Quapropter non immeritò uideri possim quamplurimis, scripsisse Iliada post Homerum: ut qui post tot nobiles Grammaticos, aliquid solum de hac arte commentari ausus sim. Verumenimuero, si uos e Strigili mea percepistis, qui, & quot errores, quae nugae, quae sordes, quae labes hanc pulcerrimam artem nobis contaminauerint: proculdubio mirari iam desinetis: & meum hoc studium, meamq. operam non modo non culpandam, sed etiam laude, & praemio ornandam esse statuetis. Nam in eo, quem dixi, libro, aliquot centena errorum, a Grammaticis commißorum, ego ita aperte commonstraui, ac toti orbi terrarum ita ob oculos posui: ut certo statuam, omnes paedagogos, & ludorum magistros iam deinceps esse habituros, quae tamquam absurda, & cum uera Latinitate pugnantia, manibus pedibusq. deuitent: nisi forte ipsimet puerorum suorum orationi, & cultui nolint esse melius consultum. Quod tamen ipsos haudquaquam uelle, omnes boni, ac sapientes uiri non immerito iudicant. Quae enim haec esset perni-

cies,

cies, quae peruersitas, instillare teneris puerorum animis, & linguis uitiosum sermonem: qui postea omnem illorum aetatem persequatur. Nam, si rerum usui credimus: Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Testa diu. Quantum uero ad Grammaticos nostros: satis ego illorum pigritiam detestari nullo modo possum: quod ipsi in hac arte tradenda tam profundum ueternum statuerunt. Quid enim hoc monstri est, Grammaticum te profiteri, & artem ipsam promittere: interim uero ab omni priscorum Latinitate tam aliena tradere? Quaeritis fortasse caussam huius stupiditatis ex me, Viri Magnifici, ac Nobiles. At ego nullam uobis respondere possum aliam, quam ἀπαιδευσίαν τῆς φιλοσοφίας. Nam artis huius praecepta, uideo a plerisque esse ἀμεθόδως tractata: propterea quod Grammatici, praesertim nostri, artis suae caussas, & uera principia, ac fontes ipsos (si qua fides habenda Caesari Scaligero) penitus ignorauerunt. Equidem philosophum eum eße oportet, & intima philosophiae Aristotelicae adyta penetrasse: quisquis artem aliquam, non dico discere, sed alios docere, & praeceptis, atque regulis uult comprehendere. Scire enim, est rem ex suis caussis cognoscere. Quam autem plerique tum ueterum, tum recentium Grammaticorum rudes hic fuerint, & quam solidae, ueraeq. philosophiae ignari: quid, obsecro, atti-

net dicere? Legant eruditissimi hoc saeculo uiri: quae Caesar Scaliger in Libro de Caussis Latinae linguae, in hanc sententiam scripsit: & dicent illico, ueteres, & nouos Grammaticos, ne caussas quidem Latinae linguae sciuisse: nedum aliis eam liguam tradere, aut per modum artis, & scientiae demonstrare potuisse. Credebant scilicet nostri Grammatici, sese tum demum arti suae quam optime consuluisse: si, more Astronomorum, ignoratis propriis, ac uernaculis rerum caussis, multas e cursu orationis colligerent τηρήσεις, & obseruationes. Nam exemplis dicunt constitui regulas: non autem regulis exempla. Quasi uero continuo sit Grammaticus, aut artifex: qui, obseruatis aliquammultis consimilibus loquendi formulis, mox generalem constituit regulam: a qua propemodum innumera alia exempla dissentiunt. Atque hoc est, quod saepe mendosi codices, in errorem perduxere nostros Grammaticos: & mendosa exempla, aut certe perperam intellecta, mendosas nobis peperere regulas. Nolo de hac re plura dicere in praesenti. Pudet enim me istorum hominum, qui artem aliquam uolunt aliјs tradere, ipsi ignari caussarum, & fontium, unde artes istae initio promanarunt: & imperiti finium, quo eaedem tendunt. Ego sane, quantum in hac arte tradenda praestiterim, id totum relinquo iudicio illorum, qui uerae, ac so-

lidae

lidae philosophiae non sunt ignari. Quantum uero uoluerim praestare, hoc nemo nouit melius meipso: qui scio & me uoluisse plurimum, & potuisse forte non minimum. Sed uideo tamen tacitas cogitationes, quae curiosorum quorundam hominum animis poßunt obrepere. Dicent enim aliqui scioli, Latinam linguam usu, & quotidiana exercitatione melius addisci poße, quam praeceptis, ac regulis: ac proinde isthac mea ἀκριβεία, in tradendis Grammaticis, nihil opus fuiße. Audio sane, quid illi obiiciant. sed audiant & ipsi, quid ego illis respondeam. Equidem non nego linguas usu melius, promtiusque, addo etiam perfectius addisci, quam praeceptis: sed eas tantum linguas, quae sunt in usu: & quorum usus quotidianus nondum intercidit. Cum autem Latina lingua, sicut & Graeca, nulli gentium hodie sit familiaris, aut uernacula: quomodo eam usu melius percipient pueri, quam regulis, & praeceptionibus? Germanicam certe linguam solo usu hodie addiscunt Germani, sicut Itali, Italicam; Hispani, Hispanicam; Galli, Gallicam; Hungari, Hungaricam; Slauoni, Slauonicam. At Latinam linguam isti omnes, quos dixi, praeceptis, & regulis consequuntur. Cur enim Guarinus Veronensis Latinam Grammaticam scripsisset pro Italis: Aelius Nebrißensis pro Hispanis: Ascensius pro Gallis: si istae gentes usu potius, quam regu-

lis poſſint eam linguam percipere? Quamquam ne hoc quidem negauerim, etiam olim fuiße hanc linguam ſolo uſu apprehenſam, ſine praeceptis: quando nimirum eius linguae adhuc erat familiaris, & quotidianus uſus: & quando mulieres tanta loquebantur ſermonis puritate, & elegantia, quantam hodie uiri ſummi, atque doctiſſimi, multis annorum ſpatijs, & magnis laboribus uix poßunt aßequi. Aut igitur matres hodie uoces edant Latinas, quoties alloquuntur liberos; aut patres recens editos, & matribus auulſos infantes ſtatim paedagogis, tamquam nutricibus, delegent; & alio ſermone, quam Latino, ipſos alloqui uetent: ſiquidem uſu magis, quam praeceptis, hanc linguam tradi, & percipi poſtulant. Nam, ſi a primis uitae incunabulis, uni huic linguae aßueſcent pueri: dubium mihi non eſt, quin exercitatione quotidiana, etiam ſine arte, ſummum illius uſum ſibi facillime ſint comparaturi. Neque uero hoc interim inficior, quod etiamnum hodie in ſcholis magnum afferatur momentum ad hanc linguam dextre percipiendam: ſi ad artem ipſam quotidiana accedat loquendi exercitatio. Ex quo perſpicitis, uiri Magnifici, ac Nobiles, quam neceſſaria ſit artis Grammaticae, ad diſcendam linguam Latinam cognitio: & quam neceßaria eiuſdem ſolida, perfectaq. tractatio. Niſi enim artem ipſam peritus artifex optimis compre-

hendat

hendat regulis, docendo: & nisi pueri optimas regulas percipiant, discendo: numquam nos hodie ad solidam priscae Latinitatis cognitionem perueniemus. Ea uero destituti, quomodo intelligemus ueterum libros, in quibus aut caelestis doctrina, aut ciuilium legum, & iuris prudentia, aut aliae res, humano generi saluberrimae, proponuntur? Quid? quod ne reliquae quidem artes, ac disciplinae sine accurata Grammaticae perceptione, intelligi, atque condisci possunt? Hoc enim est, quod tam difficulter hodie percipiunt Dialecticam adolescentes: quod nimirum solida Etymologiae, & syntaxeos doctrina, prius in Grammatico ludo non imbuuntur, quam ad Dialecticorum, & Rhetorum scholas adhibentur. Et profecto ausim ego iurare, eum puerum, qui haec praecepta probe habuerit cognita, atque perspecta, uno deinceps anno plus eruditionis e nostris Dialecticis, & Rhetoricis (nam etiam has artes nostro labore conscriptas habemus) esse percepturum, quam toto triennio ex aliorum consutis centonibus hucusque percipere potuerit. Ita enim has tres artes nos tractauimus, ut una alteri manum praebeat, & tamquam tres Gratiae inter se sint connexae, atque copulatae. Vbi enim Grammaticus desinit, ibi incipit Dialecticus: & ubi gradum sistit Dialecticus, ibi gradum promouet Rhetoricus. Exempla porro syntaxeos, quia mo-


rales

rales sunt sententiae ; & e ueterum libris depromtae, ego in unum libellum collegi ; & secundum uirtutes Decalogi, singula quaeque in suos locos distribui. Quae, si posthac loco uulgati Catonis proponantur tyronibus ediscenda: magno certe id fiet cum iuuentutis commodo, atque emolumento. Nam sic una cum Etymologia, ex inferiori ordine ad superiorem: in quo traditur syntaxis: afferrent secum exempla: & omnino expeditius intelligent Regulas, ubi exempla iam ante in promtu habuerint. Nam facilior erit labor in ediscenda Regula: ubi subiecta exempla iam ante fuerint memoriae infixa. Vobis autem, Viri Magnifici, ac Nobiles, iccirco hasce laboris mei scholastici primitias dicare uolui: ut non modo intelligatis, qualem praeceptorem, ac ducem studiorum uos liberis uestris delegeritis: sed ut illi etiam, qui hisce institutionibus hucusque frui non potuerunt, iam deinceps habeant, quod liberis suis tradi, atque proponi curent. Neque enim dubium est mihi, quin uos omnes, ac singuli, cognitis e Strigili mea deterioribus, & ex hoc libro melioribus: ea, quae deteriora sunt, e scholis tam priuatis, quam publicis, sitis posthac exterminaturi: quae uero meliora sunt, ea pueritiae uestrae sitis commendaturi. Atque, hoc ut faciatis, & me, meamq. operam, uobis gratam esse uelitis, non tam meo, (neque enim hisce praeceptis ipse iam egeo) quam

quam liberorum ueſtrorum nomine, oro, atque obteſtor. Deus opt. max. & uos, ueſtrasq. uxores, & liberos deinceps incolumes, & haſce terras in diuturna pace, aduerſus immaniſſimam Turcarum rabiem, & quotidianas incurſiones, clementer conſeruet, & protegat.


Lubeanae Carnorum, in Illyria. Kalend. Nouemb.

∞ D XXCIII





LECTORI · CANDIDO AVCTOR S. P. D.



PRo diuerſo ingeniorum captu, & pro uario aetatum, ordinumq; ſcholaſticorum diſcrimine, ſignauimus alias, atque alias quaeſtiones; aliis, atque aliis ſignis: quaſdam autem nullis: eo, quod iſtas res uſu magis, quam praeceptis addiſci poſſe ſtatueremus. Igitur infimi ordinis puero ac tyroni, damus ediſcendas quaeſtiones hoc ſigno §I§ notatas. Secundi ordinis adoleſcentulo, & aliquanto doctiori, proponimus quaeſtiones huius duplicis notae §II§. At puero tertiano, & adhuc perfectiori, commendamus quaeſtiones hoc triplici ſigno ſignatas §III§. Denique ſupremi in ſchola Grammatica ordinis adoleſcenti, proponi uolumus quaeſtiones, hac quadruplici nota notatas §IV§. Hoc te, candide Lector, ignorare noluimus:

mus: mox alio loco caussas consilij nostri tibi expli
caturi probatissimas. Vale, mi Lector, & prope-
diem a nobis Graecam quoque Grammaticam,
huic Latinae e diametro respondentem, expecta;
operamq. nostram aequi boniq. consule.
Kalendis Martij. Anni ∞ D X X C I I I

Quinctilianus Lib. I. cap. IV

Quo minus ferendi ſunt, qui artem Grammaticam, ut tenuem, ac ieiunam cauillantur. Quae niſi futuro oratori fundamenta fideliter iecerit: quidquid ſuperſtruxerit, corruet: neceſſaria pueris, iucunda ſenibus, dulcis ſecretorum comes: & quae uel ſola, in omni ſtudiorum genere, plus habeat operis, quam oſtentationis. Ne quis igitur, tamquam parua, faſtidiat Grammatices elementa: non quia magnae ſit operae, conſonantes a uocalibus diſcernere, ipſasq. in ſemiuocalium numerum, mutarumq. partiri: ſed quia interiora, uelut ſacri huius adeuntibus, apparebit multa rerum ſubtilitas: quae non modo ingenia acuere puerilia, ſed exercere altiſſimam quoque eruditionem, ac ſcientiam poſſit.

Idem Lib. I. cap. VII

Non obſtant hae diſciplinae per illas euntibus, ſed circa eas haerentibus.



ORDO . LIBRORVM







NICODEMI · FRISCHLINI QVAESTIONVM GRAMMATICARVM

LIBER . PRIMVS

De Orthographia, eiusq. figuris.



De Grammatica generatim.

Cap. I.

III *Quid est Grammatica?*

Grammatica est recte, seu pure loquendi scientia. Scalig.cap.1.de causs. ling. Lat.

IV *Vnde dicitur Grammatica?*

A Graeco nomine γράμμα, quod Latinis est littera: eo quod rationes litterarũ tradat. Latinis etiam litteratura dicitur. Cicero in Part. Quinctilianus lib.2.cap.14.

Quis est inuentor, seu antiquissimus scriptor huius artis?

Grammaticae primus inuentor, apud Graecos traditur Prometheus: apud Romanos Crates quidam Mallotes, missus ad senatum ab Attalo, inter secundum, & tertium bellum Punicum. Eandem artem postea Romae professus est Palaemon. Constat enim, homines initio modum loquendi ex usu habuisse: postea demum accessisse artem: quae communem loquendi rationem ex usu collegit: eamq. discentibus tradidit. Antiquissimus huius artis scriptorum hodie superest Priscianus: quem sequitur longa aetate L. Valla. Nostro saeculo, omnium optime regulas huius disciplinae constituerunt, Thomas Linacer: sed omnium accuratissime rationes loquendi examinauit IVLIVS CAESAR Scaliger. Quem nos auctorem, & ducem, nobis imitandum proposuimus.

Quae artes cognatae sunt Grammaticae?

Duae potissimum: Dialectica, & Rhetorica.

Quare?

Propter communem harum trium disciplinarum materiam: circa quam uersantur.

Quae est illa materia?

Sermo, character animi: seu uox, quae nota est earum notionum, quae sunt in anima. Scalig.

Quomodo rursus inter se differunt hae disciplinae?

Differũt caussis finalibus, propter quas, singulae istae artes circa sermonem uersantur. Nam Grammaticus

maticus contemplatur orationem, eiusq. partes, tamquam materiem, ſub modo conſtructionis: quatenus nimirum uoces uel per ſe conſiderantur, uel inter ſe conſtruuntur. Dialecticus orationem conſiderat, ſub ratione ueritatis, tamquam ſub fine. Nam, tametſi Grammaticus etiam uocum ſignificationes examinat: (quae quaſi forma quaedam ſunt orationis) non tamen propter ſe id agit, ſed ut Dialectico uiam indagandae ueritati praeparet. Accidit autem orationi poſtea ornatus ab Oratore, & numerus a Poeta. Nam hiſtoria ex utroque miſta eſt. Scalig.

IV *Quis eſt ergo finis Grammaticae?*

Finis huius ſcientiae eſt, recte loqui.

Quo modo hunc finem conſequitur Grammaticus?

Tribus modis. Partes orationis, ut partes, ſeu ut ſpecies dictionis conſiderando. Deinde eaſdem contemplando, prout reſpondent ad compoſitionem, ſeu conſtructionem. Poſtremo eaſdem apte pronunciando, obſeruato accentu. His etiam quartus additur modis, qui conſiſtit in recte ſcribendo. Nam ſcriptura Voci accidit: propterea quod aliter loqui, quam ſcribere, non debemus.

III *Quot ſunt officia Grammatici, ſeu fines artis?*

Quattuor. Recte ſcribere, ὀρθογραφεῖν: recte pronunciare, προσῳδεῖν, ſeu ὀρθοεπεῖν: recte expendere uocum ſignificata, ἐτυμολογεῖν: denique uoces recte coniungere, συντάττειν.

III *Quo modo uulgo uocantur hi fines artis?*

Vulgo dicũtur, Orthographia, Proſodia, Etymologia, & Syntaxis. Vulgus enim Grammaticorum hos fines, appellat partes Grammatices. Rectius autem Arithmetici uulgares, Additionem, Subtractionem, & ſimilia, nominant ſpecies ſuae artis.

De Orthographia, eiusq. ſubiecto. *Cap. II.*

Quare prius de Orthographia, & Proſodia, quam de Etymologia, praecipitur?

Propter modum diſcendi orationẽ puram: ſeu propter diſciplinam, qua hodie in percipienda lingua Latina utimur. Cum enim uoces Latinae hodie non addiſcantur uſu quotidiano; ſicut olim: ſed omnino ex libris, & lectione bonorum auctorum ſint percipiendae: iccirco ante omnia requiritur, ut pueri comparent ſibi notitiam litterarum: &, eaſdem colligendo, atque inter ſe componendo, legerę ſcripturam condiſcant. Poſtea & apta pronunciatione opus eſt, ut, quae didicerunt legere, ea quoque idoneo accentu proferant. Denique ſignificata uocum, & aptam conſtructionem a praeceptore, & idoneo artifice ut condiſcant, neceſſe eſt. Nam ſibijpſi quiſque eſt peſſimus magiſter. Accedit huc, quod Grammaticus orationem, eiusq. partes, ut materiam, conſiderat. Ideoq. totam orationem reſoluit in dictiones, ut partes materiae:

dictiones

dictiones ipſas, in ſyllabas: & has in litteras: itidem ut in partes materiae. Quare a ſimpliciſſimis progrediendo, uſque ad compoſita, artis ſuae initium ſumit a litteris: atque ab his procedit ad ſyllabas: rurſum a ſyllabis ad dictiones: denique a dictionibus ad orationem, ſeu conſtructionem.

III *Quid eſt Orthographia?*

Eſt, ut nomen ipſum declarat, recte & emẽdate ſcribendi ſcientia. Quinct. lib. 1. cap. 7. id eſt, Orthographia eſt recta quaedam uocum ſcribendarum ratio, & doctrina: monſtrans, quae litterae, quibus apte cohaereant: ne qua in illarum contextu, aut redundet, aut deſit, neu ulla in ſcriptione appareat deformitas.

IV *Unde dicitur Orthographia?*

Dicitur ab ὀρθῶς recte, & γράφω ſcribo.

IV *Quotuplex eſt Orthographia?*

Duplex: Vſitata, quae communẽ omnibus rationem ſcribendi ſequitur: & Figurata, quae a uulgi conſuetudine nonnihil recedit: ut, Gnatus, perſoluiſſe.

III *Circa quid uerſatur Orthographia?*

Circa litteras, & ſyllabas, quatenus ſcribẽdo figurantur, coniunguntur, aut ſeiunguntur: & circa dictiones, quatenus una ab alia interpungitur, atque interſtinguitur.

IV *Quid eſt Littera?*

Littera eſt minima pars dictionis ſcriptae.

IV *Unde dicitur littera?*

Vel a litura, quam olim patiebatur: Vel dicta eſt

littera quasi lineatura: sicut & γράμμα apud Graecos, παρὰ τὴν γραμμήν: ut placet Scaligero.

I *Quot sunt Latinorum litterae?*

Viginti, a, b, c, d, e, f, g, h, i, l, m, n, o, p, q, r, ſ, t, u, x. Quinctil. lib. 1. cap. 4. Nam k, Latinorum non eſt littera, ſed Graecorum. Pra hac enim Latini utuntur littera C, uel Q. Quod autem nonnulli ſcribunt kalendae per k, id adeo inepte faciunt, ut mihi uideantur cauſſam neſcire, ob quam Calendae Graecae in prouerbium abierint. Y, uero & Z, non niſi in Graecis uocibus ſcripta reperiuntur, ut ſunt, Hymnus, Hylax, Chlamys, Gyrus, Lyra, Ocyus, Zythos, Zelus. Eaq. de cauſſa, nullum ipſis nomen a Latinis factum, neque earum figura immutata eſt. Pro z autem Latini ueteres gemino ſs utebantur: ut, βαπτίζω baptiſſo: πατρώζω, patriſſo: κωμάζω comiſſo: unde comiſſatio: μάζα maſſa.

III *Quot accidunt litterae?*

Duo. Figura, & Ordo. Nam poteſtas eſt forma litterae, non accidens: ut probat Scaliger.

IV *Quo modo diuiduntur litterae ſecundum figuram?*

Bifariam. Primum in maiuſculas, ut ſunt, A, B, C, D, E, F, G, H, I, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, V, X: & in minuſculas: ut ſunt ſupra recenſitae. Deinde in longiuſculas, ut ſunt, h, i, l, m. In rotundas, ut eſt o. In miſtas, ut ſunt, b, d, p, q, r, s, & ſimiles. Itaque longiuſculo ſ, utimur in principio, & medio dictionis: breuiuſ-

culo fere in fine tantum dictionis.

IV *Quotuplices sunt litterae, secundum ordinem?*

Triplices. Quaedam sunt praepositiuae tātum, quae in compositione syllabarum numquam postponuntur: ut sunt, f, g, h, p, q. Nulla enim syllaba, nulla dictio Latinorum est, quae in f, aut g, aut h, aut p, aut q desinat: nisi apocopen sit passa, ut ah, uah, oh, proh, de quibus suo loco. Quaedam postpositiuae tantum, apud Latinos: ut x. Nulla enim dictio Latina, ab hac littera incipit. Quaedam uero sunt praepositiuae, & postpositiuae, ut sunt ceterae litterae omnes.

III *Quomodo diuiduntur litterae secundum speciem?*

Diuiduntur in uocales, & consonantes.

De Vocalibus. Cap. III.

II *Quot sunt vocales?*

Quinque, a e i o u. Nam y Graeca est uocalis: reperiturq. in solis Graecis uocabulis. Quare scribendum est aclides, cortina, hiems, hibernus, lacrima, limfa, papirius, pirata, sidus, considero, desidero, silua, siluestris, sincerus, pilentum, tiro, triumfus. Etsi enim quaedam ex his, Graecam sapiunt originem, uelut a δάκρυον, νύμφη, ὕλη, θρύαμβος uenientia, tamen ad Latinam consuetudinem pluscu lum esse detorta uidemus. & tam in consonantibus, quam in uocalibus factam mutationem anim-

aduertimus. In quibuſdam uoculis, Latini, u uocalem ponunt, ubi Graeci y uſurpant, ut lacruma, Sulla pro Sylla: clupeus pro clypeus, tamquam eſſet a καλύπτω. unde etiam promontorium Africae Clupeam dicunt, Graece ἀσπίδα, καὶ κλυπέαν, teſte Strabone lib. 6.

III *Quare dicuntur uocales?*

Quia per ſeipſas, ſolo ſpiritu, pronunciari poſſunt, abſque adminiculo conſonantium.

IV *Quod accidunt uocali?*

Quinque. Adſpiratio, Mutatio, Cognatio, Degeneratio, & Compoſitio.

IV *Quae uocales poſſunt adſpirari?*

Omnes; ut, habeo, hebes, hirundo, hodie, humidus.

III *Vbi adſpirantur?*

Vel in principio, uel in medio dictionis: numquam in fine. Nam uah, proh, ah, oh, dicta ſunt per Apocopen, pro uaha, prohe, aha, ohe. Nam haec ut proferuntur, ita etiam ſcribenda ſunt. Vitioſe enim pronunciant uach, ach, proch, och, ſicut & nichil, michi. Qua de re alibi.

Quando uocales adſpirantur in medio?

Concurrẽtibus uocalibus, uitandi hiatus cauſſa, ut: ahenum, prehendo, uehemens, nihil, mihi, traho, incoho, cohors. Vbi tamen compoſita excipies, quorum ſimplicia non adſpirãtur; ut, coaleſco, coemo, coerceo, coorior. A. Gell. lib. 1. noct. Att. c. 3. docet, ueteres inſeruiſſe ſpiritum H, pleriſque uocibus firmandis, roborandiſque: ut ſonus earum

eſſet uiridior, uegetiorque.

IV *Quid hic cauendum?*

Ne adſpiremus uocales nō adſpirandas. Scribendum igitur alucinor, non halucinor, cum ſit a luce aberro. arena, aedes, edera, Etruſci, non harena, hedes, hedera, Hetruſci. olus, non holus, cum ſit ab oleo. Contra rectius ſcribes Hadria, Hadrianus, Horatius (eſt enim ab Hora Dea) hariolus, haruſpex: quam ſine ſpiritu.

IV *Quot modis mutantur uocales?*

Tribus. aut ex inflexione, aut ex deriuatione, aut ex compoſitione.

Quae uocales in quas mutantur ex inflexione?

A breue mutatur in a longum; ut, faueo, faui, caueo, caui; & contra a longum in a breue; ut par, paris. In e longum; ut, facio, feci. In e breue; ut, pario, peperi. In i longum; ut, peccata, peccatis. In i breue; ut, cado, cecidi. E breue mutatur in e longum; ut, ſero, ſeui. e longum in e breue; ut, fides, fidei. In i longum; ut, eo, iui: In i breue: ut, culmen, culminis. In u; ut, pello, pepuli, horreo, horrui. I breue mutatur in i longum; ut, audio, audiui. I longum in i breue; ut, ambiui, ambitum. In a: ſi quis, ſi qua: in e longum; ut, turris, turres. In e breue; ut, rapio, rapere. In u longum; ut, quis, cuius. In u breue; ut, rapio, rapui.

O breue mutatur in o longum; ut, pulmo, pulmonis. In a longum; ut, amo, amaui. In a breue; ut,

ut, do, dare. In e longum: ut, lego, legebam. In e breue; ut, lego, legere. In u longum: ut, ſequor, ſequutus: in u breue: ut, domo, domui.

V breue mutatur in u longum; ut, domus, domu: Induo, indutus. u longum in u breue; ut, pecus, pecudis, cornu, cornua. In a: ut, ſcamnum, ſcamna: In e; ut, uulnus, uulneris. In i: ut, caput, capitis. In o longum; ut, bonus, bono: in o breue; ut, fenus, fenoris.

Quae uocales in quas mutantur, per deriuationem?

A breue in a longum; ut, paro, pareo: A longum in breue; ut, uado, uadum: ater, atrox: a breue in a breue; ut, paro, pario: a longum in a longum; ut, uado, uades. In ae; ut, aqua, aquae: In e; ut, paſco, pecus: In o; ut, uena, uenox. In u; ut mare, muria.

E breue mutatur in e longum; ut, ſedeo, ſedes. E longum in e breue; ut, ſedes, ſedile. In a; ut, legere, legare. In i: ut, ueho, uia; ut uult Varro; ſedeo, ſido. In o; ut, tego, toga. in u breue; ut, tego, tugurium. In u longum; ut, dies, diu. In ae; ut, ſequor, ſaeculum.

I breue mutatur in longum; ut, uia, uilis. I longum in i breue; ut, dicere, dicare. I breue in aliud breue; ut, Mina, minax. I longum in aliud longum; ut, ſimius, ſimia. In e; ut, illicio, illex. In u; ut, ſpecio, ſpecula.

O breue mutatur in longum; ut, uomo, uomer. O longum in breue; ut, moles, moleſtus. O breue in

in aliud breue; ut, uolo, uolones. O longum in aliud longum; ut, donum, donarium. In a longum; ut, dico, dicax. In e longum; ut, tutor, tutela. In e breue; ut, bonus, bene. In i longum; ut, amo, amicus. In i breue; ut, amo, amita. In u longum; ut, tego, tegula, ſtolo, ſtultus.

V breue mutatur in u longum: ut, puer, puſio. V longum in u breue: ut, rus, rudis. V breue in aliud breue: ut, lutum, lutoſus. V longum in aliud longum: ut, pus, putidus. In a: ut, cudo, quatio. In e: ut, pignus, pigneror. In i: ut, cures, Quirites: conſul, conſilium: exſul, exſilium. In o: ut, decus, decoro.

III *Quo modo Graecorum uocales mutantur a Latinis?*

H mutatur in e longum; ut ἥρως, heros. υ in ſyllabis mediis, & o in finalibus, mutantur in u; ut, Σύλλας, Sulla, δάκρυον, lacruma, δύο, duo, ἐνδύω, induo, ῥόδος, Rhodus, σύμβολον, ſymbolum. In caeteris nulla fit mutatio; ut, θεολογία, Theologia.

Quae uocales in quas mutantur per compoſitionem?

A breue mutatur in e breue: ut, ſacro, conſecro: cano, fidicen. A longum in e longum: ut, aptus, ineptus, halo, anhelo, caſtus, inceſtus. A breue in i breue: ut, ago, abigo: amicus, inimicus. In i longum: ut inſtigo, ab inſto, & ago: ubi etiam fit ſynaereſis. In o longum: ut, cogo, a cum & ago, per ſynaereſin. In o breue: ut, hiſtoria, hiſtoriographus.

phus. In u: ut, quatio, percutio: salsus, insulsus.

E breue mutatur in e longum: ut, Refero, rettuli. In i longum; ut, laedo, collido. In i breue: ut, dedi, reddidi: sedeo, insideo: lego, colligo, diligo, negligo, intelligo. Quidam intellego malunt, sicut & pellego.

O mutatur in u; ut, folum, exsul.

V mutatur in e breue: ut, iuro, peiero. In i breue: ut, cornu, cornicen.

Quae uocales inter se cognitionem habent?

Cognatae sunt inter se, e, & i: o, & u. Ex quo fit, ut propter affinitatem, saepe perperam una ponatur pro alia. ut, genetrix, alleum, palleum, doleum, soleum, aethereus, Vergilius, diminuo. pro quibus scribendum, genitrix, allium, pallium, dolium, solium, aetherius, Virgilius, deminuo. Quid, quod, Fabio teste, olim e quoque loco i fuit? ut Menerua, leber, magester, & Deioue, Veioue? Quinctil. lib. 5. cap. 6. Quidam etiam beniuolus, malunt, quam beneuolus: sed compositio reclamat: cum uox ab aduerbio bene, & a uerbo uolo sit: quemadmodum maleuolus a male, & uolo. Antiqui fere o pro u scribebant: ut quom, quoius, quoi, uoltis, uolt, uolsus: pro cum, cuius, cui, uultis, uult, uulsus. uide Fabium lib. 1. cap. 4. Iisdem o pro e, admodum frequens fuit: ut, uortex, uoster, uorto; pro, uertex, uester, uerto.

Scribendum item robigo, non rubigo, auctore Festo: Poplicola, non Publicola: Dolabella, non Dolobella: contra iucundus, non iocundus; cum sit a

Iuuo,

Iuuo, teſte Cicerone lib. 2. de Finib. adoleſcens, non aduleſcens, cum ſit ab adoleſco: monumentum, non monimentum. Scribimus enim & documentum, nocumentum, tegumentum per u.

III *Quae uocales in quas literas degenerant?*

I, & u interdum, ſua poteſtate amiſſa, degenerant in naturam conſonantium g, & f: ut, iuſtus, uictor. Ac tum differentiae cauſſa aliter ſcribuntur, j quodam longiori tractu, & v forma ſemicirculi, ut ſit diſcrimen inter j conſonantem, & i uocalem: inter v conſonam, & u uocalem.

III *Quae uocales inter ſe componuntur?*

Quattuor, A e o u. Nam ex e, & i fiebat olim diphthongus; quae hodie obſoleuit.

III *Quo modo componuntur?*

A quidem, & o ſemper praeponuntur: u uero ſemper poſtponitur. E & proponitur, & poſtponitur.

De Diphthongis. Cap. IV.

III *Quo modo uocantur compoſitae uocales?*

Diphthongi.

III *Quid eſt diphthongus?*

Diphthongus, ut nomen ipſum indicat, eſt geminus unius ſyllabae ſonus: ex duarum uocalium conflatione procreatus: ut aerumnae, audio.

III *Quot ſunt Latinorum Diphthongi?*

Quattuor, ae, oe, au, & eu. Vt Muſae, Poenus,

aula,

aula, Eurus. Ex his duae tantum priores, sunt genuinae, & propriae Latinis: duae uero posteriores, a Graecis acceptae: reperiunturq fere in ijs tantum uocabulis, quorum origo a Graecis promanauit: ut, aula, αὐλή: audio, αὐδάω. Eurus, εὖρος: heu, φεῦ.

IV *Diphthongo quod accidunt?*

Quattuor: Adspiratio, Mutatio, Cognatio, & Disiunctio.

IV *Quae diphthongi adspirantur?*

Omnes, praeter oe: ut haereo, haut, heu. Parcissime ea utebantur ueteres, etiam in uocalibus: cum oedos, ircosq. dicébant. Diu deinde seruatum, ne consonantibus adspiraretur, ut in Graccis, trium pis. Fab. lib. 1. cap. 5. Polit. in Miscell. cap. 19.

IV *Quot modis mutantur Diphthongi?*

Tribus modis. Inflexione, Deriuatione, & Compositione.

Quo modo inflexione?

Ae mutatur in a: ut quae, quarum. In I: ut caedo, cecidi, In O: ut, quae, quorum.

Quo modo deriuatione?

Oe mutatur in V: ut, poena, punio: Poeni, Punici. Au in u: ut, raudum, rude.

Quo modo compositione?

Ae mutatur in I: ut, quaero, inquiro. Au in e: ut, audio, obedio. In u: ut, claudo, occludo: In o: ut plaudo, explodo. Atque hoc pacto ueteres dicebant, Clodius, plostrum, olla, codex, lotus; pro Claudius, plaustrum, aula, caudex, lautus: quamquã ex his etiamnum hodie quaedam usitatiora sunt.

Quae

III *Quae diphthongi ſunt cognatae?*

Ex Diphthōgis maxime cognatae ſunt ae, & oe, propter uitioſam pronunciationem. Ambae enim hodie, ſicut e ſimplex proferuntur. Vnde non raro fit, ut una ſcribatur pro alia.

Quae uoces Latinae ſcribendae ſunt per ae diphthongum?

Hae fere. Aedes, aemulus, aequus, aequor, aerumna, aes, aeris, aeſculus, aeſtimo, aeſtus, aetas, aeuum, blaeſus, caecus, caedes, celebs, caelo pro ſculpo, caelum, caepa, caeruleus, caerimonia, caeſtus, caeteri; Mannuccio ceteri magis arridet: cinaedus: faex, glaeba, Graecus, haedus, haereo, laena genus ueſtimenti: laetus, laeuus, laeuis: Maecenas, Graeci μαικῆνας: maereo, maeſtus, muraena, paedor, paene pro fere: paenuria, paenitet, Paetus, palaeſtra, plaerique, plaerumque, praelium q. prae ludiū: Mannuccio proelium placet: praes, praeter, praetor, prae, quaero, quaeſo: ſaeculum, ut uult Scaliger, ſaepe, ſaeuus, taedet. Et quae ſingulis horum deriuantur, aut componuntur.

Quae uoces Latinorum ſcribendae ſunt per Oe diphthongum?

Hae ſunt fere. Amoenus, coepi, coetus, foedus, foedo, foetor, foeteo, moenia, poena, Graece ποινή: foemina, & foetus alijs, Mannuccio Femina placet, a femine, uel fetu. uidetur enim fetus, feta, fetum dici, tamquam eſſet participium ab obſoleto, feo, feui, fetum. qua forma dicimus, fleo, fleui, fletum. Scaliger a φοιτᾶν deducit foetum: ſcribitq.

bitq. per diphthongum.

Quae uulgo per diphthongum ſcribuntur, ſcribenda ſine diphthongo?

Sine diphthongo ſcribenda ſunt, quae uulgo cum diphthongo uitioſe ſcribuntur: celo, pro occulto: cena, ceno, ceſtus pro cingulo Veneris: felix, fetus, eadem forma, qua fretus, ſuetus, & ſimilia, feto fetare: & quae hinc deducuntur a Feſto, fenus, fenum, fecundus, femen, femina, Fetiales a feriendo, ut idem uult Feſtus: Frenum, heres, hereditas, pomerium, plebes, obſcenus a ſcena: ut docet Mannuccius.

IV *Quo modo Graecorum diphthongi mutantur, ſcribenturq. a Latinis?*

Αι Graecorũ mutatur a Latinis in ae: οι & ῳ in oe: ει uero in e lõgum, & ſimplex. ut ἀχαιός Achaeus: Αἰνείας Aeneas: οἶςρος Oeſtrus; οἴσυπος Oeſipus: κωμῳδία comoedia. ου mutatur in u uocalem: ut, μοῦσα, Muſa. Scribes igitur, Auleum, platea, ſpeleum, Dareus, Lyceum, Muſeum, pharmacopoleum, Baſilea, & horum ſimilia, per e. In quibuſdam u conſona interſeritur: ut, Achiuus, Argiuus, archiuum: Graece ἀργεῖος, ἀρχεῖον. Diſiunctio diphthongorum ad figuras pertinet.

De Conſonantibus. Cap. V.

II *Quot ſunt Latinorum conſonantes?*

Quindecim. B, c, d, f, g, h, l, m, n, p, q, r, ſ, t, x. De harum inuentoribus tradit Plin.

lib. 7.

lib. VII. cap. 56. Diodor. Siculus lib. 4. Ioseph. & Polydorus Virg. suis locis. H non esse per se litteram, sed spiritum, iam dictum est; & repetetur paullo infra. Vide Gell. lib. 2. cap. 3.

II *Quo modo diuiduntur consonantes?*

In Mutas, & Semiuocales. Quinct. lib. 1. cap. 4. Priscianus lib. 1.

II *Quot sunt Mutae?*

Octo, b c d f g p q t. De F controuersia est inter doctos, utrum inter mutas, an semiuocales sit recensenda. Scaliger mutis annumerat.

IV *Quare dicuntur Mutae?*

Quia, nisi uocalis sit addita, nullum prorsus sonum in pronunciando edunt. Nullo enim conatu adduci queas, ut b, nulla addita uocali proferas: quemadmodum hoc Plato declarat in Theaeteto.

III *Quomodo diuiduntur Mutae?*

More Graecorum, diuidi possunt in quattuor tenues, seu tenui sono proferri solitas: ut sunt C P Q T. & tres medias b g d. & unam, quasi asperam F; quae uicem Graeci φ obtinet. Inter C tamen, & Q hoc interest, quod Q crassiori sono, quam C, effertur. De hoc Quinct. lib. 1. cap. 6. & lib. 12. cap. 10.

II *Quot sunt semiuocales?*

Sex: L m n r s & x.

IV *Quare dicuntur semiuocales?*

Quia paene, sicut uocales, solo spiritu, absque adminiculo uocalium efferunt sonum. Adducta namque ad palatũ lingua, L profertur solo spiritu: eandẽ tremula, atque uibrata inferius, R exprimitur:

Sin ſpiritus ad nares introrſum aſcendat, N pronunciatur: Simplici mugitu M editur: Si ſibilus eſt, nullius adminiculo uocalis indiget. Atque haec cauſſa eſt, quod nonnulli litteram F, inter ſemiuocales referunt: quia ſibilum, in ea pronuncianda, imitatur ſpiritus.

III *Quo modo diuiduntur ſemiuocales?*

In quattuor liquidas, l m n r: unam ἄσημον: unam duplicem, quae eſt ξι Graecorum inuerſa.

IV *Quot accidunt conſonantibus?*

Sex. Adſpiratio, Cognatio, Mutatio, Geminatio, Cōiunctio, Graece σύστασις, & Diſiunctio, διάστασις.

IV *Quae conſonantes adſpirantur?*

Sola ex omnibus quattuor C P T R, nec niſi in Graecis dictionibus, quae in uſum Latinae linguae irrepſerunt, ut ſunt, Chorus, ſchola, ſcheda; pro quo Mannuccius approbat ſcida a ſcindo: Philippus, philoſophus, Thraſo, rhetor, catarrhus. Inepti ſunt igitur, qui Romanis, aut Barbaris uocabulis adſpirāt: qualia ſunt, carus, pulcer, faſelus, Cetegus, Cartago, Oto, Mato, tropaeum, triumpus, ſulfur, ſifo, limfa, lacruma, ſepulcrum, Roma, Renus. Nū ne Germani quidem in hac uoce, elemento r adſpirāt. Nam haec, & ſimilia omnia, ſine flatu ſcribenda, & proferenda ſunt. Vide Gell. lib. 2. c. 3. Cic. de Orat. ubi affirmat Cicero, conſonantibus coeptum eſſe, ſua aetate adſpirari. Sed ea Graecitatis κακοζηλία fuit. Seruius ex Latinis dictionibus ſolum duas aſflat, charus, & pulcher. Alij ne has quidem cenſent eſſe aſpirandas. Nam Terentius Scaurus a polio,

polcrum deducit, ſicut a fulcio, fulcrum; a ſepelio, ſepulcrum; a ſimulo, ſimulacrum. Charus uero, cur differētiae cauſſa adſpiretur, ne idem ſit, quod carus, ideſt pretioſus: nullā uideo cauſſam: quando omne carum, & pretioſum, eſt carum, & gratū: &, quo quaelibet res eſt pretioſior, eo etiam eſſe ſolet carior, & gratior.

Quae conſonantes quibus ſunt cognatae?

Cognatae inter ſe ſunt B & P. Quod enim Graecis eſt πύξος, id nobis eſt buxus. Cognatae ſunt C, G, & Q. Nam, qui primi fuerunt Gaij, & Gneij, hi poſtea facti ſunt Caij, & Cneij; & quae uoces olim ſcribebantur per q, ſcriptae ſunt poſtea per C: ut, quoius, quoi, quom, cuius, cui, cum. Sic dicimus ſequor, ſequutus, & ſecutus: loquutio, & locutio. Cognatae ſunt item D, & T: F, & V conſonans: G & I conſonans: ut haud, haut, fenus, uenus: guſtus, iuſtus. Magnam quoque litterae S, cum T. R. cognationem eſſe, docet Quinct. lib. 1. c. 4. Nam ueteres ſcribebant pultare pro pulſare: arbos pro arbor: melioſes, maioſes, laſes, pro meliores, maiores, lares. Sed & C & T, propter uitioſum ſibilum, qui in utroque pronunciando auditur, multum habēt affinitatis, ut ſuſpicio, ambitio: Sulpicius, Graece σουλπίκιος, & Martius. Vnde non raro, a Graecis peccatum fuit, qui δομίκιον ſcripſere: quem Latini nominant, & ſcribunt Domitium.

Quid hic obſeruandum?

Ne propter cognationem, & affinitatem, ſcribamus alias pro aliis conſonantibus. Vitioſa enim

ſunt haec: abſynthium,abſis,obſonium: quia Grae-
ci ſcribunt ἀψίνθιον, ἄψις, ὠψώνιον, eodem plane ſigni
ficatu, quo Latini dicunt apſinthium, apſis, opſo-
nium. Scaliger haut, ſicut aut, putat ſcribendum,
non haud. Alij etiam ſet, ſicut et, ſcribunt, niſi au-
ctoritate Quinct.lib.1.cap.7. qui cenſet aduerbia,
& coniunctiones, per t: praepoſitiones per d, eſſe
ſcribendas. Per C item ſcribes haec: ſuſpicio, au-
ſpicium, concio, conuicium. ueniunt enim a ſuſpi-
cor, auſpicor, concieo, uicus. Rectius etiam ſcribes
per C, quam per T, Fabricius, Ficticius, aduenti-
cius, dediticius, nouicius, aedilicius, patricius, tribu
nicius, latericius, repticius, & ſimilia: ut amicicia,
pudicicia, iuſticia: non autem amicitia, iuſtitia. At
per T rectius ſcribes: initium, ambitio, otium, o-
tior, negotium, indutiae, infitior, pretium, uitium,
& alia: quorum originem non ignorabis. Nam in-
fitior dictum quaſi infiteor, ſeu diffiteor, ut Feſtus
innuit: & indutiae dictae, quaſi tu dicas inde uti
iam. teſte Gell. lib.1. cap.25. Quod uituperabile
eſt, per ſeipſum, id eo ipſo uitium nominatum pu-
to. Cic.lib.3. de Finib.

Quot modis mutantur conſonantium aliae, in alias?

Tribus modis. Inflexione, deriuatione, & com-
poſitione.

Quo modo inflexione?

B C D G M N Q R T, mutatur in S, alias ſim
plex, alias geminum: ut iubeo, iuſſi; parco, parſi;
laedo, laeſi; ſpargo, ſparſi; premo, preſſi; pono, po-
ſui;

ſui; torqueo, torſi; uro, uſſi; meto, meſſui; quatio, quaſſi. Cognatae ex his, in ſuas quoque cognatas tranſeunt, B in P. G, & Q in C. ut ſcribo, ſcripſi; ago, actum; ſequor, ſecutus. C item, & G, & Q in X mutantur: ut dico, dixi; pingo, pinxi; coquo, coxi. Quanquam in his, tantum SI, praeteriti terminatio ad litteram praeſentis uidetur initio acceſſiſſe: ut duco, ducſi; fingo, fingſi. Nam, Fabio teſte, littera X poteramus carere, ſi non quaeſiſſemus.

Reliquae conſonantes L P S X, in praeteritis, & ſupinis uerborum non mutantur. S autem in genitiuo tranſit in D N R T & V: ut Paris, Paridis; merces, mercedis; ſanguis, ſanguinis: quoniam fuit ſanguen; flos, floris; nepos, nepotis; bos, bouis.

Quo modo deriuatione mutatur una conſona in aliam?

B mutatur in M: ut globus, glomus. C in G, & R: ut centum, quadringenti: ſeco, ſerra. D in B L & T: ut duellum, bellum; ſedeo, ſella; caedo, quatio. G in C: uiginti, uiceſimus. M in B: ut, ſcamnum, ſcabellum. N in S, & T: ut, findo, fiſſus; canis, catulus, & catus. R in L, & N: ut, miſer, miſellus; murus, munus. T in cognatam D: ut quattuor, quadraginta, quadra.

Quo modo compoſitione fit iſta mutatio?

B in compoſitis mutatur in C F G P R, & V: ut, ſuccurro, ſuffero, ſuggero, oppono, ſurripio, aufero. Interdum etiam in M: ut ſummitto, pro ſubmitto. Nam ſuſpicio, ab aduerbio ſus,

pro sursum, composita uox est: ut & complures aliae: & suspicio, pro succipio dictum, more Aeolensium.

C mutatur in G cognatam: ut a nec, negligo, negotium.

D in C sequente Q. ut, Quicquid, quicquam, acquiro.

At sequentibus C, F, G, L, N, P, R, S, & T: mutatur in easdem: ut, Iccirco, accurro, affero, aggero, allino, allectus, non adlectus: annuo, appono, arripio, assumo, attingo. Sic meridies dicitur, pro medidies. Interdum ante N mutatur in G: ut, agnosco, agnitus, agnascor, agnatus.

M ante L, & R transit in easdem: ut, colludo, corripio. Est enim a cum, & rapio: sicut infra de praepositionum compositione ostendetur. Ante alias consonantes omnes, praeterquam ante B, P, & seipsam, mutatur in N, ut Nuncubi, pro Num alicubi: tantundem, eorundem: nunquid, circunquaque &c. sicut exempla declarant, quae infra ponuntur cap. 4. lib. 5. de figura praepositionum.

Eadem consonans ante N, interdum mutatur in G: ut, cognosco, pro connosco; cognatus pro connatus; cognomen, pro connomen.

N ante B. P. M. transit in M: ut imbuo, impono, immortalis. Ante C, & Q, mutatur in C: ut, ecce, ab en & ce; ecquid, ab en & quid. Ante N interdum mutatur in G: ut, ignauus, ignotus, ignominia. Ante L, & R, transit in easdem: ut illino, illustris: irrumpo, irrito.

R ante

R ante L nonnunquam transit in L: ut, intelligo, pelluceo.

S ante F mutatur in eandem: ut, diffluo. Ante N, mutatur in C: ut, dignosco.

X ante F transit in eandem: ut, effero, effugio. Eadem littera, si accedit in compositione ad s, absorbet s: quemadmodum ipsa pronunciatio ostendit: ut, exequor, excribo, exulo: non exsequor, exscribo, exsulo. Neque enim aliter scribere, quam loqui debemus. Itaque Scaliger hic, ueterum simplicitatem nos sequi iubet, qui scripserint exul. Nam eiusmodi consonantes asperiores, in commissura uerborum rixantur: ut ait Quinctil. lib. 9. c. 4. Idem tamen Quinctil. discriminis caussa, uult scribendum exspecto: quando sit ab ex & specto: at cum fuerit ab ex & pecto, scribendum esse expecto. Mannuccius contra ad compositionem censet respiciendum, scribendumque, exsatio, exscribo, exsilio, exsoluo, exspecto, exsto, exstruo, exsudo, exsorbeo, exsulo, exsulium, exsupero, exsurgo. Huius ego sententiam neque confirmare uerbis, neque confutare hic institui.

Quae consonantes geminari, seu duplicari solent, siue natura, siue per compositionem?

Omnes praeter H, aspirationem, & Q, cui perpetuus est comes u uocalis, & x duplicem litteram. Dicimus enim extra compositionē: obba, uacca, offa, agger, sella, flamma, annus, cippus, terra, fessus, mitto: & in compositione: abbreuio, accurro, addo, effero, offendo, aggero, alleuo, committo, annuo,

opponO, perrumpo, assideo, attenuo. Ciceronis temporibus, paullumq. infra (ut testatur Quinctil. libro primo, capite septimo.) fere, quoties s littera, media uocalium longarum, uel subiecta longis esset, geminabatur: ut, caussa, cassus, diuissio. Sed hic melius est sequi rationes, quam exempla uulgi. Nam, quae natura ipsa sunt longa; cur etiam positione, & geminatione producantur?

Quid hic notandum?

Prisci illi ueteres, nullam litteram geminabant; ut ait Festus: sed posteri nimis frequenter. Itaque media uia procedendum, & respiciendum; quae probarit usus. Opidum unico p, scribi oportere docet Mannuccius. Idem affirmat paullum & paullulum: item Paullus, nomen proprium, geminato LL scribendum: sicut & Pollio scribitur. Debent uero etiam haec geminari, si Mannuccio credimus, bellua cum sit a bello: consummari: quia a summus uenit: Iuppiter, Ligurrio, Maximillianus, opperior, uaccinia. Non geminari debent haec: bucina; quia dicta est quasi uocina, ut ait Isidorus lib. 18. cap. 4. heluo, non helluo: litera non littera, litus non littus, & similia. Semiuocales non geminare, diu fuisse usitatissimi moris, affirmat Quinctilianus.

De coniungendis, & disiungendis Consonantibus. Cap. VI.

Quae consonantes cum quibus possunt in una syllaba per naturam Latine coniungi?

B iungi potest cum sequentibus L, R, & S: ut, blandus, breuis, abs, trabs, Arabs. Peregrinae uoces sunt, Bdella, & bdellium.

C iungitur cum sequentibus L, R, & T: ut claudo, credo, rectus. Peregrina sunt Cneus, Cnidos, quae tamen alij per G, scribunt.

D cum sequente R: sed fere in peregrinis tantum: ut, drachma, draco: quadra, dodrans.

F & G cum sequentibus L, & R, ut fleo, frango: gloria, grandis. G etiam cum N iungitur, ut gnatus pro natus; pignus, pignero, ignis. In uoculis, agmen, tegmen, syllaba men est uerbalis terminatio; sicut mentum, in dictione fomentum.

M iungitur cum N & S: ut, omnis, amnis, hyems. Graeci μνημων itidem iungunt. Promptus, emptus, & similia, sunt uitiosa.

N cum S & X; ut, mons, fons, lanx, phalanx.

P cum C, L, R, S, T: ut, plico, precor, seps, opsonium, aptus, raptus: sicut in uoce Pterelas.

R iungitur cum S & R: ut, ars, pars, arx, merx.

S cum M in peregrinis: ut smaragdus, smigma. cum C. CR. CL. P. PL. PR. Q. T. TR & V consonante, in Latinis: ut scamnum, disco, sclopus: (alij stlopus, & slopus scribunt) scrupulus:

asper,

asper, spondeo, splendeo, spretus, squilla (quod ex peregrina natum est lingua) studeo, strideo, suadeo, suauis.

T cum solo R, in Latinis dictionibus, iungitur: ut, trado.

Quae consonantes Latinae recipiunt alias ante se, siue per naturam, siue per compositionem in diuersis syllabis?

B ante se admittit L M R: ut albus, ambo, imbibo, arbor. Interdum etiam D admittit, in compositione, ut adhibo.

C admittit ante se L N R, & in compositione S: ut, alcedo, incus, arcus, mercor, disrumpo, discolor, suscipio.

D recipit ante se L N R: & in compositione etiam B: ut, caldus, candidus, bardus, surdus, abduco, abdomen.

F admittit ante se solum B, & N: ut, absui, obsui, infero, anfractus, circunfero, confero. Vitiosa sunt igitur circumfero, circumfluo: Peregrina triumfus, limfa, & similia: quae alias scribuntur per ph: triumphus, lympha.

G admittit ante se L, N, R: ut, algeo, ingens, angustus, arguo.

L admittit B: ut, abluo, sublimis, composita. In uno uerbo (antlo, exantlo) admittit ante se litteram T: ut docet Seruius.

M admittit B D L R: ut, submoueo, admoueo, administro, almus, permeo. Itaque rectius scribes affero, quam adfero, affui, quam adfui.

N admittit ante se B L R: ut, abnuo, abnego, alnus, cerno, pernox.

P ante se suscipit L M & R: ut, sculpo, compes, ampulla, carpo, perpes.

Q admittit C, D, N, R, S, & X: acquiro, haudquaquam anquiro, quanquam, nunquis, tanquam, nunquam, pro nonunquam contracte: perquiro, disquiro, exquiro.

R habet ante se B N S: ut, abrumpo, obruo, circunroto, circunrodo, disrumpo.

S admittit ante se B L N P R: ut, obses, absum, obsideo: falsus, ansa, opsonium, parsi. De X dubium est inter Grammaticos, utrum scribas exsilio, an exilio. Adsum, pro assum, uitiosum est.

T admittit ante se L M N R S, & X: ut, altus, promtus, ante, duntaxat, artes, sustineo, mistus, sustollo, iuxta, extra.

X habet ante se L N R: ut, falx, lanx, arx.

V, & I consonantes admittunt ante se B D N R: ut, obuoluo, aduolo, inuolo, peruolo, abiuro, adiudico, iniuria, periurium.

Quid hic obseruandum?

Ne in coniunctione consonantium, aliqua uel redundet, uel desit. Itaque scribendum, coniux, nō coniunx: cum sit a iugo: emtus, promtus: culcita, non culcitra: iurisdictio, non iurisditio: quae uox Latina non est: multo, non mulcto: auctor, auctoritas; non autor, autoritas: cum sit ab auquo, auxi, auctum: percunctor, internundinium, sicut interlunium: quinctus, quinctilis, Quinctilianus, a

quinque:

quinque: ſicut cinctus a cingo: ut uiſum eſt Mannuccio.

Quae conſonantes, a quibus poſſunt ſeiungi in ſcribendo?

Conſonantes, quae inter ſe natura coniunguntur, a ſe inuicem ſeparari non poſſunt. Nam (ut ait Quinctil.) in diuidendis uerbis obſeruatio eſt: mediam litteram conſonanti priori, an ſequenti ſyllabae adiungas. Aruſpex enim, quia pars eius poſterior a ſpectando eſt, s litteram tertiae conſonanti dabit: abſtemius, quia ex abſtinentia temeti uox compoſita eſt, primae relinquitur. Fab. lib. 1. cap. 7. In quibus igitur ſyllabis fuerit σύςασις, & natiua conſonarum coniunctio, eae non patientur διάςασιν: ſed contra: ubi non fuerit talis coniunctio, ibi poterit locum habere diſiunctio. Verbi gratia. Tegmen, qui, a non habet g & m, naturaliter iunctas (eſt enim men terminatio uerbalis, ſicut & in uoce tegumen) ideo poſſunt hae duae ſeparari: quemadmodum & in uoce agmen, & ſimilibus. Nam hic eſt τεχνικὴ σύςασις.

IV *Quid hic cauendum eſt?*

Primum, ne coniungenda ſeparemus: ut ſunt, quamobrem, quemadmodum, ſicut, uelut, quamprimum, comprimis, propterea. Nam hae ſunt ſingulae, & unicae dictiones.

Deinde, ne ſeiungenda componamus. Scribes igitur in primis, non dum, nec dum, ne dum, non numquam, non nulli: ut putat Mannuccius. Item quoquo modo, quodam modo, ſi quis, ne quis,

prius

prius quam, postea quam, ante quam.

Praeterea, Quae consonantes ab initio possunt iungi, eae in medio non sunt disiungendae, nisi obstet τεχνικὴ σύςασις: de qua dictum est: ut, pi gnus i gnis, uenu stas, uolu ptas, o mnis, pro ximus. Dicimus enim gnatus, sto, Ptolemaeus, Mnemon, Xenius. Item quae composita sunt, ea sic disiungenda sunt; ut unaquaeque pars per se ponatur: ut: abstemius, abs tineo, abs condo, trans pono, praeter eo, ig notus, ag natus.

Ad haec consonantium geminatarum prior, cum syllaba praecedente, posterior cum syllaba sequente coniungenda est: ut, stel la, af fero, ad do, mam ma.

Postremo, unica inter duas uocales consonans, addenda est posteriori: ut a mo, e go.

IV *Quae est nota διαςάσεως?*

Nota disiunctionis, est accentus, in hunc modum, - : & ad medium litterae, quae prior disiungitur, appositus: ut an - nus.

De syllabarum notis, seu apicibus.
Cap. VII.

III *Quid sit ex coniunctione uocalium, & consonantium?*

Syllaba. Nam nihil est aliud syllaba, prout hic consideramus, quam uocalium, & consonantium nexus.

Quot

III *Quot accidunt litterae, aut syllabae, quatenus ea scribi solet?*

Quinque. Nota coniunctionis, Nota disiunctionis, Nota diuisionis, Nota Auersionis, & Apex, seu Nota accentus.

IV *Quae est nota coniunctionis?*

Nota coniunctionis, Graece ὑφέν est, quae duas syllabas in una dictione connectit, supposito semicirculo: ubi propter partium compositarum integritatem uidentur esse duae dictiones: ut, anteuolans, antemalorum, semperflorentis.

IV *Quae est nota disiunctionis?*

Nota disiunctionis, Graece διαςολή est, quae uoces, quas possis componere, uirgula interiecta disiungit: ne uideantur esse una dictio: ut, in littore conspicitur, sus. Ne ursus legatur. Et haec nota a superiori est diuersa.

IV *Quae est nota diuisionis?*

Nota diuisionis, Graece διαίρεσις, est quae duas uocales diuidit: duobus punctis superimpositis: ne in diphthongum coalescant: ut Poeta, aeneus, Phaeton, aulai.

IV *Quae est nota auersionis?*

Nota auersionis, Graece ἀπόςροφος est, quae litterae, aut syllabae defectum ostendit: ut, Mult' ill' & terris iactatus, & alto.

IV *Quae est nota accentus?*

Est nota, quae unam uocem ab alia discernit: & syllabam in pronunciaudo uel tollendam, uel deprimendam, uel ducendam esse monet. Fabius iubet

bet apices apponere: cum eadem littera alium, atque alium intellectum, prout correpta, uel producta est, facit: ut in dictionibus malus pro arbore, & palus pro pedamento.

III *Quot sunt notae accentus?*

Tres. *Quae?*

1 Nota acuti, quae est uirgula a dextra in laeuam descendens: ut cérto, útrum.

2 Nota grauis, quae est uirgula a laeua in dextram descendens: ut certò, utrùm.

3 Nota circumflexi, quae est uirgula geminata, adeoq. ex acuto, & graui accentu composita: ut, hic, Deûm, cecìdi.

Quae dictiones notari solent accentibus, seu apicibus.

Primum omnia aduerbia, orta a nominibus; quae eandem, cum aliquo primitiui sui casu, terminationem habent: ut, docte, doctius, doctissime: male, peius, pessime, tantum, quantum, tanto: quanto, falso, certo, profecto, primum, postremum. Sic & orta a pronominibus, & uerbis, aliisq. partibus: ut, hic, illic, isthic, huc, illud, isthuc: eo, quo, adeo, quam, pone, age, fere: ne uideantur esse imperatiui, pone, age, fere, a uerbis pone, age fero: ante, post, infra, supra, cum, coram, palam, quod, ergo: pro caussa &c. Deinde non male etiam praepositiones a, & e, itemq. o interiectio notantur apicibus: & o quidem uocantis accentu circumflexo, exclamantis uero, graui accentu, uel etiam acuto: ne istae uocales cum sequentibus coalescant: id, quod in uete-

rum

rum libris accidisse: & multis mendis occasionem praebuisse uidemus. Scribemus igitur à te, à nobis, è lue, ò miseram; ne uideantur esse unicae dictiones A te, A nobis, elue, omiseram.

Praeterea sunt acuendae ultimae syllabae earum dictionum, in quas reiiciunt tonum suum Encliticae, que, ne, ue, nam: ut, Indoctusq. pilae, discíue, trochíue quiescit. Non'ne, an'ne, quisn'am. Non autē acuuntur, in quibus istae uoces sunt partes cōpositae: ut sunt, neque, nanque, atque, utique, ubique, ubicunque, quisque, itaque, siue, & similia. Haec enim sunt figurae compositae uocabula: & rem unam significant. At indoctusque, duas res significat, expressas nomine, & coniunctione. Postremo quidam, differentiae caussa, uoces infinitas grauant, interrogatiuas acuunt: ut, Cic. Vtrum hoc tam parum meministi? an ego non satis intellexi? Idem: Nihil ad eum, qui te captare uult: utrum tacentem irretiat: an loquentem. Sic acuunt omnia interrogatiua: ut, quís, quót, cúr, únde, úbi, qúo, quám, quándo, qúorsum, útrum, án. Grauant omnia infinita: ut, quìs, si quìs, ne quìs, quòt, cùr, undè, ubì, quò, quàm, quandò, quorsùm, àn, utrùm. Idem discrimen obseruant in praepositionibus, & aduerbiis, consimiles litteras habentibus: ut ánte, póst, súpra, ínfrá, córam, póne sunt praepositiones: antè, pòst, suprà, infrà, coràm, ponè sunt aduerbia.

De

De notis distinctionum.
Cap. VIII

III *Quid fit ex coniunctione syllabarum?*
Dictio.

Quae uocales, & quae consonantes incohant, claudunt q. dictionem?

Vocales aeque omnes & incohant, & claudunt dictionem: ut ama, ede, iui, oro, usu. At consonantes incohant quidem omnes dictionem: sed non terminant omnes. Nam in G H P & Q nulla dictio Latina desinit.

Quot consonantes possunt dictionem incohare, & claudere?

Non ultra tres: ut, sclopus, spretus, splendor, strepitus, trabs, stirps. Vbi tamen semper liquidam interuenire necessum est: ut liquidior, & mollior sit sonus.

IV *Quid accidit dictionibus, quoad scribũtur?*

Distinctio, seu interpunctio: qua una dictio, aut etiam pars totius sententiae, ab alia parte, propter respirationem interpungitur.

IV *Quot sunt notae distinctionum?*

Sex. comma, colon, punctus finalis, siue periodus, signum interrogationis, signum parentheseos, & littera maiuscula.

Quid est comma, seu uirgula?

Coma, seu uirgula est semicirculus, ad finem dictionis appingi solitus: qui uoces, non autem par-

tes ſententiae diſtinguit: uir probus, & eruditus. Cic. Valet iudicio, auctoritate, gratia. Idem: Coepit me hortari, orare, monere.

Quid eſt Colon?

Eſt ſemicirculus cum ſuperaddito puncto, uel geminatus punctus, diſtinguens contraria nomina, & uerba, adeoq. partes ipſas ſententiae; ut, publica ſunt hodie, priuata; ſacra, profana; tua, aliena. Tu, quid diuitiae ualeant, libenter ſpectas: quid uirtus, non item. Virg.

Stat ſua cuique dies, breue & irreparabile tempus,
Omnibus eſt uitae; ſed famam extendere factis,
Hoc uirtutis opus.

Cic. ad Torquat. Etſi quocunque in loco quiſque eſt, idem eſt ei ſenſus, & eadem acerbitas, ex interitu rerum & publicarum, & ſuarum: tamen oculi augent dolorem, qui ea, quae ceteri audiunt, intueri cogũtur: nec auertere a miſeriis cogitationẽ ſinũt.

Quid eſt punctus finalis?

Eſt unicum punctum, quo tota ſententia clauditur, ac terminatur. Hoc, quia facilem habet cogitationem, nihil de eo praecipiendum eſt curioſius. Quae de periodis, colis, & commatibus porro dicenda eſſent: de iis traditur in Rhetoricis.

Quae eſt nota interrogationis?

Eſt punctus, cui apud Latinos ſemicirculus, commati obuerſus, ſuperimponitur: denotatq. interrogantis affectum: ut, Cantando tu illum? Locum, quem ſibi haec nota poſtulat, uerbum ipſum indicat. Itaque ſubiicienda eſt haec no-

ta ſingulis membris interrogantibus : ut,

—— Nonne uides, croceos ut Tmolus odores:
India mittit ebur ? molles ſua thura Sabaei ?
Ac Chalybes nudi ferrum ? uiroſaq. Pontus
Caſtoria ? Eliadum palmas Epirus equarum ?

In dolore autem, & admiratione exprimenda, non utimur hac nota; ſed unico tantum puncto : cui alij lineam rectam apponunt : ut, Quanta calamitas impendet reip. Quantas utilitates generi humano philoſophia peperit ?

Quae ſunt ſigna parentheſeos?

Sunt duo maiores ſemicirculi, quorũ prior imaginem lunae decreſcentis, poſterior imaginem creſcentis lunae repraeſentat. His ſignis includuntur, quae nec ſententiae partes ſunt : nec ab ullo aut antecedente, aut ſubſequente uerbo reguntur: neque, ſi abſint, ſententia quidquam detrimẽti patitur: ut,

Summe pater (nam te uoluit rex magnus Olympi
Talibus auſpiciis, exortem ducere honorem)
Ipſius Anchiſae longaeui hoc munus habebis.

Vbi obſeruandum inepte facere, qui parentheſi includunt haec : ut aiunt ; ut fama ; ut a maioribus accepimus ; ut puto; ut res indicat, & ſimilia. Nam haec poſſunt media diſtinctione interpungi.

Quae dictiones ſcribendae ſunt litteris maiuſculis ?

Initialem litteram habent maiuſculam, omnes dictiones, nouam periodum inchoantes: omnia, itẽ Nomina propria, aut propriorũ uim habentia : aut Chriſtus, Maria, Paulus, Deus, Spiritus ſanctus, Sol,

Luna, & similia. Sed & artium uocabula, tanquam propria, scribuntur maiusculis litteris initialibus: ut sunt, Orthographia, Prosodia, Etymologia, Nomen, Verbum, Predicamentum, Quantitas, Exordium, Peroratio, Multiplicatio. Simile esto de similibus iudicium. Carmina, & uersus incohant nonnulli singulos, a litteris maiusculis: etiam si nõdum sit absoluta sententia. Putant enim hac scribendi ratione, quoddam discrimen constitui, inter ligatam, & solutam orationem, primo statim intuitu, dignoscendas. Alij contra faciunt: quorum ego sententiae ante non subscribam, quam uetustatis exemplo id facere sese demonstrauerint.

De figuris Orthographicis. Cap. IX

IV *Quot sunt figurae Orthographicae?*

Vndecim praecipue. Appositio, Ablatio, Interpositio, Intercisio, Productio, Abscissio, Contractio, Diuisio, Transpositio, Permutatio, & Dissectio.

IV *Quid est Appositio?*

Appositio, Graece πρόσθεσις, est additio litterae, uel syllabae, a principio dictionis: ut, gnauus, gnatus, edurus, pro nauus, natus, durus.

IV *Quid est Ablatio?*

Ablatio, Graece ἀφαίρεσις, est, cum littera, uel syllaba, a principio dictionis aufertur: ut, temnere, mittere: pro contemnere, emittere. Virg.

Discite iustitiam moniti, & non temnere Diuos.

Possent tamen haec exempla meo iudicio non inepte referri ad Enallagen, sine Heterosin. Est enim simplicis usus, pro composito.

IV *Quid est Interpositio?*

Interpositio, Graece Epenthesis, est, cum littera uel syllaba, in medio dictionis interponitur: ut, reddo, relligio, relliquiae, repperi, rettulit, bracchium (est enim Graece βραχιῶν) alituum, pro alitum: induperator. Iuuenalis:

Rara auis in terris, nigroq. simillima cygno.

IV *Quid est Intercisio?*

Intercisio, Graece συγκοπὴ, est ablatio litterae, uel syllabae, e medio dictionis: ut, salictum, carectum, repostum, dixti, accestis, promosse, percusti, Deum, surpuerat, extinxem: quae poetica sunt: Nam haec uulgatiora sunt: ualde, ualdius, pro ualide; audacter, pro audaciter.

IV *Quid est productio?*

Productio, Graece παραγογὴ, est additio syllabae ad finem dictionis: ut dicier, pro dici. Pers. At pulcrum est digito monstrari, & dicier, hic est.

IV *Quid est Abscissio?*

Abscissio, Graece ἀποκοπὴ, est ablatio litterae, uel syllabae, a fine dictionis: ut, nihil pro nihilum: nil pro nilum: donec, pro donicum: tuguri pro tugurij: negoti, pro negotij: parce metu, pro metui: uenatu inuigilant, pro uenatui. Efferuntur etiam per Apocopen hi quattuor Imperatiui: dic, duc, fac, fer: ut uideantur esse nomina, dico, duco, a dix: face, a fax: fere, a ferus.

IV *Quae est nota Abscissionis?*

Vel circumflexus accentus,, ultimae uocali impositus, uel, quod aliis placet, littera maiuscula.

IV *Quid est Contractio?*

Contractio, Graece συναίρεσις, est, quando duae syllabae in unam contrahuntur, ut nil pro nihil: & nilum, pro nihilum apud Lucretium. In uocibus cui, cuique. Vbi I consona est magis, quam uocalis; sicut hoc suo ostendetur loco. Horat.
Praecipue sanus: nisi cum pituita molesta est. Pers.
Somnia pituitae qui purgatissima mittunt.
Est enim pituita quadrisyllabum: ut in illo Catulli:
Mucusq. & mala pituita nasi. Quid uero licentius, teste Cicerone, quam quod hominum etiam nomina ueteres contrahebant: quo essent aptiora. Nam ut duellum, bellum: & duis, bis: Sic Duellium eum, qui Poenos classe deuicit, Bellium nominauerunt. Cic. in orat.

Quae est nota contractae syllabae?

Accentus fere circumflexus, uocali contractae superimpositus: ut decreram pro decreueram.

IV *Quid est diuisio?*

Diuisio, Graece διαίρεσις, est, quando una syllaba in duas diuiditur; ut, aulai in medio. Stamina nonulli persoluenda Deo. De nota diuisionis supra est dictum.

IV *Quid est Transpositio?*

Transpositio, Graece μετάθεσις, est, cum littera a sua sede in aliam transponitur: ut Tymbre pro Tymber. Cauendum autem, ne pro figura committatur

mittatur uitium. Lapidicina pro lapicidina, uitiose scribitur. Dicimus enim lapicida & lapicidina, sicut fodina a fodio. Sic perperam scribitur scrotum pro scortum:& similia quaedam alia.

IV *Quid est permutatio?*

Permutatio Graece ἀντιστοιχείωσις, est litterae pro littera positio:ut olli, pro illi:olla pro aula:plostrum pro plaustrum: here pro heri. Virg.

Igneus est ollis uigor, & caelestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant.

Sic faciundum, optumus, sacerrumus: pro faciendum, optimus, sacerrimus. Scaliger hanc mutationem adscribit consuetudini. Quare non inepte retuleris eiusmodi uoces, ad Archaismum: de quo in fine Etymologiae.


IV *Quid est Tmesis?*

Tmesis, Latine dissectio, est quasi dilocatio, seu disiunctio compositionis: ut, Quae me cumque tenent terrae: pro, quaecumque. Inutilis, inq. ligatus, pro illigatus.

IV *Quae pugnant maxime cum recta scriptura?*

Tria haec. Adiectio; ut, ammo, pro amo.
Detractio: ut, ordeum, pro hordeum.
Immutatio; ut, set, pro sed.

Et haec de Orthographia dicta sint satis.





NICODEMI. FRISCHLINI QVAESTIONVM GRAMMATICARVM LIBER. SECVNDVS

De Proſodia.



De Proſodia, eiuſq. ſubiecto. *Cap. I.*

III *Quid eſt Proſodia?*

Proſodia eſt recte pronunciandi ſcientia: ut liberè, libére.

III *Unde dicitur Proſodia?*

A Graeca praepoſitione πρὸς, ad: & a Graeco Nomine ᾠδὴ, cantus; quaſi dicas accentum. Docet enim obſeruare accentum. Eruditiores Grammatici, ſecuti Fabium, uocabulo aptiori, nominant ὀρθοέπειαν: id eſt, emendatam, cum ſuauitate, uocum explanationem.

Quo-

IV *Quotuplex est Prosodia?*

Duplex. Vsitata, quae communem omnibus in pronunciando modum tenet. Et Figurata, quae a communi uia deflectit; ut, Matri longa decem tulerunt fastidia menses. Virgil.
Cum iacet omnis ager, pecudes, pictaeq. uolucres. Idem.

III *Circa quid uersatur Prosodia?*

Circa syllabarum accentus.

IV *Quid est scite pronunciare?*

Nihil aliud est, quam recte exprimere syllabas, obseruato illarum natiuo accentu. Differunt enim metiri, seu mensurare carmen, enumeratis pedibus: & pronunciare carmen, obseruato uocum accentu.

De syllaba, eiusq. quantitate. *Cap. II.*

III *Quid est syllaba?*

Syllaba, est minima pars dictionis prolatae. Vel, ut finit Scaliger, est elementum sub accentum.

IV *Quid est Accentus?*

Accentus, Graece προσῳδία, est modus, seu mensura syllabae: quatenus ea pronunciando producitur, uel corripitur: attollitur, uel deprimitur: attenuatur, uel densatur.

IV *Quot accidunt syllabae caussa accentus?*

Tria. Tempus, Tenor, & Spiritus.

Quid

III *Quid eſt Tempus?*

Tempus, ſeu, ut alij nominant, quantitas, eſt menſura, uel modus ſyllabae: quo inter pronunciandum uel producitur, uel corripitur. Hic dimenſus ſyllabae fit in longitudinem.

III *Quotuplex eſt ſyllaba cauſſa temporis?*

Triplex. Longa, Breuis, & Anceps.

III *Quid eſt ſyllaba longa?*

Eſt, quae duobus conſtat temporibus: notaturq. linea in longum protracta: ut mālus, pro arbore.

III *Quotuplex eſt ſyllaba longa?*

Duplex. Natura longa: ut ſecunda ſyllaba in uerbo amāre: & poſitu longa: ut prima in Nomine ſermo. Nam haec ſyllaba etiam breuis eſſe poteſt: ſi alteram conſonantem tollas: ut in uerbo ſero.

III *Quid eſt poſitio longae ſyllabae?*

Eſt, cum uocalem ſequuntur duae conſonantes, aut una duplex: ut arma, ille, axis.

IV *Quid huc pertinet?*

Vocalis I, poſita inter duas uocales, non modo uim habet conſonantis, ſed etiam duplicem ualet: ut, major, pejor, hujus, cujus, ejus, mejo, ajo. Nam antiqui in his geminabant I conſonam. Quoniam ſcribebant maijor, peijor, huijus, Pompeijus, aijo. Sed haec regula in compoſitis non habet locum: ut apud Virgil. Quadrijugo inuehitur curru.

IV *Quid excipitur a ſuperiori regula?*

Muta cum ſequente liquida, ſyllabam natura

breuem,

breuem, facit ancipitem, ut tenébrae paenultima longa, & ténebrae paenultima breui: capri, apri, sacri, patres, integri.

IV *Quid hic notandum?*

Vocales natura longae, numquam possunt corripi: etiam si muta cum liquida sequatur: ut paenultima, in uoce simulacrum, ambulacrum, lauacrum. Est enim a natura longum, in uerbis simulare, ambulare, lauare. Caeterum ex liquidis fere duae tantum, l & r, apud Latinos reperiuntur liquescere.

III *Quid est syllaba breuis?*

Est, quae uno tantum constat tempore: notaturq. figura, quae circumflexo tenori aduersa est: ut, mare ᴗᴗ. Non enim nisi longa circũflecti potest.

III *Quotuplex est syllaba breuis?*

Duplex. Natura breuis; ut secunda syllaba in uoce legere: & positione breuis: ut tertia, in nomine miseria. Si enim a tollas a fine, erit tertia longa, in uoce miseri.

III *Quid est positio breuis syllabae?*

Est, cum uocalem sequitur alia uocalis; ut pius, reus, miseria. Hi Genitiui unius, ullius, nullius, utrius, neutrius, totius, illius, ipsius, istius; paenultimas habent positione breues: consuetudine, & usu longas. Alius, & solius numquam leguntur in paenultimis correpta: Alterius numquam in eadem syllaba productum.

III *Quid est syllaba anceps?*

Anceps est, quae alias producitur, alias corripitur;

tur; ſeu quae alias uno, alias duobus conſtat temporibus; ut ſacri, patres, Atlas, habent primas indifferentes.

De cognitione quantitatis ex diphthongo, & declinatione. Cap. III.

III *Quot modis cognoſcitur ſyllaba eſſe natura longa, aut natura breuis?*

Octo modis: Diphthongo, Declinatione, Coniugatione, Deriuatione, Compoſitione, Terminatione, Analogia, & Vſu ſeu Auctoritate.

III *Quo modo Diphthongo?*

Omnis Diphthongus longa eſt: ut Ouid. 2. de Arte:

Aurea ſunt uere nunc ſaecula: plurimus auro
Vaenit honos: auro conciliatur amor.

Graeci Diphthongos inter ſyllabas, poſitione longas referunt: Dicunt enim: ὅτι ἡ θέσει μακρὰ ἐλάττων ἐσὶ τῆς φύσει μακρᾶς. ἐπεὶ καὶ τὸ Α φύσει μακρὸν, μεῖζόν ἐσὶ τῆς α διφθόγγου, τῆς ἐχούσης τὸ ι ἐκφωνούμενον.

IV *Quid hic notandum?*

Diphthongus interdum, propter ſequentem uocalem, corripitur, ut apud Virgil. Sudibúſque praeuſtis.

IV *Quo modo efferendae ſunt Diphthongi?*

Diphthongi, ut nomen ipſum indicat, pronunciandae

ciandae sunt gemino sono: ita, ut ambae uocales audiantur in una syllaba: quemadmodum in uerbo audio, & nomine Eurus. Quare uitiose proferuntur ae, & oe, per e simplex; ut nunc mos est.

III *Quo modo cognoscitur natiua syllabae quantitas, ex Declinatione?*

De hac re dantur tredecim regulae.

III *Quae est prima regula?*

Nomina in O & IO, tertiae declinationis, assumta syllaba nis, habent paenultimas natura longas; ut sermo, sermonis: ardelio, ardelionis: legio, legionis: Excipe homo, nemo, turbo, caro, Apollo.

III *Quae est secunda regula?*

Quae Do, aut Go finiunt, assumta syllaba NIS, habent paenultimas natura breues, ut: hirundo, hirundinis: siligo, siliginis: praeter mango, mangonis. Sic & gentilia paenultimam Genitiui corripiunt: ut, Mācedo, Macĕdonis, Vangio, Vangionis, Lingo, Lingonis, Saxo, Saxonis.

III *Quae est tertia?*

Nomina in Al & Ol, paenultimam Genitiui natura sua producunt: In il & ul eandem natura sua corripiunt: ut, animal, animalis: sol, solis: uigil, uigilis: consul, consulis. Excipe in Al, sal, salis, & peregrina, Hannibal, Hannibalis, paenultima breui.

III *Quae est quarta regula?*

Nomina in En Latina, assumpta terminatione Genitiui, faciunt paenultimas natura breues: ut, lu-

men,

men, luminis; flumen, fluminis: praeter ren, renis; ſplen, ſplenis; lien, lienis.

III *Quae eſt quincta regula?*

In Ar, & Or, aſſumpta ſyllaba, paenultimas ſuapte natura producunt: ut, laquear, laquearis; calcar, calcaris; honor, honoris; doctior, doctioris.

IV *Quae excipiuntur?*

Excipe 1 In Ar: ut par, paris; Lar, laris; iubar, iubaris; nectar, nectaris; Caeſar, Caeſaris: paenultima breui: far, faris.

2 In Or: ut arbor, equor, marmor, memor: & compoſita a corpus, & decus: ut, bicorpor, indecor. Nam haec omnia paenultimā Genitiui corripiunt. cor, cordis facit.

III *Quae eſt ſexta regula?*

In Er, & Vr aſſumta ſyllaba, habent paenultimas natura breues: ut, agger, aggeris; fulgur, fulguris: praeter fur, furis, paenultima longa.

III *Quae eſt ſeptima regula?*

Nomina in As, Os, & Vs: quae V in obliquis retinent, habent paenultimam Genitiui, natura longam: ut ciuitas, ciuitatis; ſacerdos, ſacerdotis; uirtus, uirtutis.

I V *Quae excipiuntur?*

Excipe 1 Nomina in As: mas, maris; uas, uadis, paenultima breui: as, aſſis.

2 In Os, arbos, compos, impos, bos, bouis; os, oſſis.

3 In Vs, pecus, pecudis; intercus, intercutis: ſus, ſuis;

ſuis; grus, gruis; Ligus, Liguris, quod peregrinum eſt.

III *Quae eſt octaua regula?*

Nomina in Es, Is, & Vs: quae V in obliquis mutant: habent paenultimam Genitiui natura breuem: ut miles, militis; paries, parietis; cuſpis, cuſpidis; ſanguis, ſanguinis; corpus, corporis; uulnus, uulneris.

III *Quae excipiuntur?*

Excipe 1 in Es, heres, heredis; merces, mercedis; locuples, locupletis; quies, quietis; inquies, inquietis.

2 In Is monoſyllaba, & peregrina; ut, lis, litis; glis, gliris; Quis, Quiritis; Samnis, Samnitis; Sibaris, Sibaritis, paenultima longa.

3 In Vs comparatiua: ut Maius, Maioris; doctius, doctioris.

III *Quae eſt nona regula?*

Nomina in B S, PS, & T deſinentia, paenultimã genitiui natura correptam habent: ut trabs, trabis; daps, dapis; ſtips, ſtipis; inops, inopis; adeps, adipis; princeps, principis; caput, capitis; anceps, ancipitis: Excipe ſeps, ſepis; ſtirps, ſtirpis.

III *Quae eſt decima regula?*

Nomina in Ax, Ex, Ix, & Ox, aſſumta ſyllaba, habent paenultimas natura longas: ut fornax, fornacis; fex, fecis; ueruex, ueruecis; pernix, pernicis; ferox, ferocis.

IV *Quae excipiuntur?*

Excipe 1 in Ax: fax, facis. In Ex: grex, gregis; nix,

nix, niuis: & omnia dissyllaba, ac polysyllaba in Ex: preter uertex, & ubex. Nam paenultimā genitiui corripiunt, pumex, silex, remex, cortex, opifex, & omnia similia.

2 Excipe in Ix, nix, niuis; strix, strigis; pix, picis; filix, larix, salix, coturnix, appendix, coxendix, calix, fornix, uarix, histrix, quae & ipsa paenultimā genitiui corripiunt.

3 In Ox, praecox, praecocis, paenultima breui. Nox, noctis facit.

III *Quae est undecima regula?*

Nomina in Vx assumta syllaba, paenultimas habent natura breues: ut dux, ducis; redux, reducis; coniux, coniugis: praeter frux, frugis.

III *Quae est duodecima regula?*

Genitiui plurales primae, secundae, & quinctae declinationis, paenultimas habent natura longas: ut Musarum, scamnorum, specierum.

III *Quae est tredecima regula?*

Genitiui, & datiui quinctae declinationis singulares, uocalem ante terminationem Ei habentes: & datiui, atque ablatiui plurales, eiusdem quinctae habent paenultimas natura longas; ut, aciei, materiei, aciebus, speciebus.

De cognoscenda Quantitate, ex Coniugatione, Deriuatione, et Compositione.
Cap. IV.

III *Quo modo cognoscitur syllabae quantitas ex coniugatione?*

De hac re dantur quattuor regulae.

III *Dic primam regulam.*

Verba primae, secundae, & quartae coniugationis, uocales a e & i, characteristicas praesentis, in paenultimis, & antepaenultimis syllabis, habent natura longas: ut amas, amamus, amabam, amabamus, amabimus; doces, docemus, docebam, docebamus, docebimus; audis, audimus, audibam, audibamus, audibimus: sicut ibam, ibo, ibimus. Sic enim antiqui uerba quartae coniugationis inflectebant. Hodie audiebam, audiebamus, audiam, audiemus, in usu sunt.

III *Dic secundam regulam.*

Praeterita, & supina dissyllaba secundae, & tertiae coniugationis, habent priores natura lòngas, plaeraque: ut uideo, uidi, uisum; rideo, risi, risum; fleo, fleui, fletum; sedeo, sedi; cudo, cudi, cusum; edo, edi, esum; comedo, comedi, comesum; fundo, fudi, fusum; frango, fregi; lego, legi.

IV *Quae excipiuntur?*

Haec tria in praeteritis actiuis paenultimas corripiunt:

ripiunt; ſcindo, ſcidi; findo, fidi; bibo, bibi. Sic & compoſita, diſcidi, diffidi, ebibi. At haec ſex, in ſupinis, ſiue praeteritis paſſiuis, corripiunt paenultimas: citum, a cio: litum, a lino: ſitum, ab ſino: ſatum, a ſero: ratum, a reor: rutum, a ruo. cum cõpoſitis: ut concitum, oblitum, deſitum, conſitum, irritum, dirutum. Quibus addi poſſet & catum pro cautum, a caueo. Duo item compoſita a noſco: agnitum, & cognitum.

Praeterea pleraque, quae primam ſyllabam in praeterito repetunt, loco augmenti: ut pungo, pupugi; tollo, tetuli; tundo, tutudi; pario, peperi; cado, cecidi, & conſimilia.

Poſtremo excipiuntur omnia, in quibus poſitio productam facit, non natura: ut, lego, lectum; frango, fractum; ſedeo, ſeſſum; cingo, cinxi, cinctum; ſpargo, ſparſi, ſparſum; ueho, uexi, uectum.

III *Dic quartam regulam.*

Prima, & ſecunda perſona pluralis, in futuro ſubiunctiui paenultimam habent productam: quae in praeterito eiuſdem modi corripitur: ut fecero, feceris, fecerit. P. fecerimus, feceritis, fecerint. Catull. Dein cum millia multa fecerimus. Ouid.

—— Vitamq. fatebor

Accepiſſe: ſimul uitam dederitis in undis.

Idem lib. 4. de Ponto, Elegia v, paenultimas in uerbis tranſieritis, & contigeritis producit. At Virg. in praeterito corripit: ut Aeneid. 6.

Namque ut ſupremam falſa inter gaudia noctem
Egerimus, noſti.

III *Quomodo ex deriuatione cognoscitur natiua syllabae quantitas?*

Deriuatum sequitur naturam sui primitiui, a quo deriuatur: ut lego, legam, legerem, prima breui: legi, legeram, legissem, legero, legisse, prima longa. stabam, stabo starem: prima longa; steti, stetissem, stetero, prima breui. caedo, cecidi. Sic piamen, lenimen, molimen, paenultimas habent natura longas, quia ueniunt a uerbis piare, lenire, moliri.

III *Quid hic obseruandum?*

Sunt, quae contra naturam primitiuorum, uel corripiuntur, uel producuntur: ut Lucerna, prima breui, a luceo, prima longa. Regula, & tegula, primis longis; a rego, & tego, primis breuibus.

III *Quomodo ex compositione cognoscitur quantitas?*

Compositum retinet natiuam quantitatem simplicis: ut amo, adamo; lego, colligo; strepo, obstrepo; crepo, increpo; ligo, obligo, paenultimis ubique breuibus. Repo, obrepo; lego, legare, ablego, paenultimis longis. Idem obseruatur in praepositionibus. Quae enim natura longae sunt, eaedem in cōpositione produci solent. Vt a, e, de, prae, se, & dis: praeterquam in dirimo, & disertus.

A,	ut	amitto,	auerto.
E,	ut	eligo,	emitto.
De,	ut	deduco,	deficio.
Prae,	ut	praecurro,	praeuertor.
Se,	ut	secubo,	securus.

Breues ſunt, ad, ab, ob, ſub, in, per, inter, ſuper, cum, circum, & o in uerbo omitto: niſi ad conſonantes accedant: ut, Adſum, ſiue aſſum, primam poſitu longam habet. Ades, adeſt, eandem correptam, & natura praepoſitionis habent: uel etiam ex natura terminationis: de qua mox dicetur.

IV *Quanta eſt praepoſitio* PRO?

Pro, extra compoſitionem longa eſt: in compoſitione alias longa, alias breuis, interdum anceps.

Longa, quando ſignificatum Latinae praepoſitionis retinet: ut produco, profero.

Breuis, quando ſignificationem habet aduerbij procul: ut profugus, profundus, profanus, proficiſcor.

Anceps eſt in his ferme: procuro, profundo, propello, propino, propago.

III *Quae excipiuntur a regula?*

Compoſita ex integro, & corrupto: uel ex corrupto, & integro, quantitatem ſimplicis utrobique non retinent: ut magnificus, munificus, particeps, opifex, & ſimilia corripiunt alteram, ab initio ſyllabam: licet magni, munij, opi, quatenus ſunt ſimplicium nominum caſus, I productum habeant. Sic & tepefacio, calefacio, ualedico, ſecundas ſyllabas corripiunt: licet tepere, calere, ualere, e longum habeant. Scaliger ſecundam in ſempiternus ait produci: cum ſit i longum ex diphthongo natum: ſicut fit in uerbis quaero, inquiro.

De cognitione quantitatis ex ultima terminatione. Cap. V.

III *Quo modo natiua quantitas cognoſcitur ex terminatione?*

De hac re dantur quattuor regulae.

III *Dic primam.*

Quae uocabula deſinunt in a, b, d, e, l, m, n, r, & t, breues habent ultimas: ut arma, ab, ob, ad, ſed, cubile, legere, uigil, conſul, circum, lumen, numen, Caeſar, carcer, caput, legit, amat, audit.

III *Quae excipiuntur in A?*

In a excipiuntur omnes Ablatiui primae declinationis ſingulares: & omnes Imperatiui primae coniugationis: denique omnes praepoſitiones, omnes coniunctiones, omnia Aduerbia in a: praeter quia, & poſtea: quae ultimas correptas habent. Indifferenter fere a Poetis uſurpantur numeralia cardinalia in a: ut triginta, quadraginta. Quanquam ſunt, qui illis in locis aliter legendum eſſe cenſeant.

III *Quae excipiuntur in E.*

In E producuntur Ablatiui quinctae declinationis ſingulares, & Imperatiui ſecundae coniugationis: ut fide, die, re: & quae hinc deriuantur, pridie, hodie, perendie, quare, refert. Sic longa ſunt, doce, ſile, tene.

2 Longa item ſunt aduerbia deriuata a nominibus

nibus adiectiuis: ut bellè, pulcrè, temerè, ferè, fermè, ualdè: praeter benè, & malè: quae ubique corripiuntur in fine.

3 Postremo etiam producuntur omnia monosyllaba in E: ut me, te, se, ne: exceptis enclyticis, que, ne, ue, & syllabicis adiectionibus pte, ce, te: ut suapte, ecce, tute.

III *Quae excipiuntur in L, & N?*

Monosyllaba in L, & N producuntur: ut mel, fel, splen, ren, quin, sin, en, non: sicut & lien. An indifferens est.

III *Quae excipiuntur in R?*

Longum est par, cum compositis, impar, dispar, item Nar, fluuij nomen: lar, far, fur, cur, uer, & Graeca in er: ut aer, crater, stater.

III *Dic secundam regulam.*

Quae desinunt in Es, Is, Vs secundae, & quartae declinationis, & Vs tertiae: quae u in obliquis mutant, breuia sunt: ut miles, hebes, cinis, dicis, legis, amatis, auditis, dominus, annus, fructus, pignus, uulnus.

III *Quae excipiuntur in Es?*

Longa sunt in Es, quinctae declinationis, ut res, fides: & in Es tertiae declinationis, quae non crescunt genitiuis: ut nubes, clades, fames; & uerba in Es: ut ames, doces, leges, audies. Lōga sunt & haec in Es: aries, paries, abies, haeres, merces, locuples, quies, inquies. Item Graeca lebes, tapes, & similia.

III *Quae excipiuntur in Is?*

Producuntur in Is, datiui, & ablatiui pluralis:

ut Musis, magistris, nobis, uobis, quis: & uerba quartae coniugationis, ut audis. Praeterea monosyllaba: ut Lis, glis, uis, sis: cum compositis, possis, quiduis, quamuis.

III *Dic tertiam regulam.*

Desinentia in I, V, C, As, Os, & Vs tertiae declinationis, quae V in obliquis retinent, longa sunt: ut domini, domui, sorti, amandi, legendi, amaui, legi, dixi: cornu, genu: dic, duc, fac, lac, halec, hic aduerbium: bonitas, aetas, amas, doceas, legas, audias: dominos, lupos, custos, sacerdos, bos, dos, ros, os, tellus, palus, pus, plus, rus. Fac esse lōgum, licet a facio descendat: patet ex illo Ouid. Durius incedit, fac ambulet. 1. de Arte amandi. Idem. Hos fac Armenios.

IV *Quae excipiuntur?*

Excipe primum in I, haec indifferentia: mihi, tibi, sibi, ubi, ibi.

Deinde in C pronomen hic, indifferens: & haec breuia, nec, donec.

Postremo & haec breuia in Os: compos, impos. Graeca ubique suam Prosodiam sequuntur.

III *Dic quartam regulam.*

In O desinentia, habent ultimam ancipitem: ut homo, ego, dico, lego.

III *Quae excipiuntur?*

Datiui & Ablatiui, in O producuntur; & quae ab his descendunt, Aduerbia: ut domino, lupo, amando, legendo: adeò, ideò, tantò, quantò, certò, falsò, Praeter quomodo, serò, ergo: quae indifferenter usurpantur. Breuia sunt citò, modò, illicò.

Dic

Dic generalem regulam de Monosyllabis.

Monoſyllaba, quae deſinunt in uocalem, & in conſonantes c, l, n, r, & s producuntur: cetera corripiuntur: ut lac, dic, fac, mel, fen, ſin, non, ren, par, cur, uer, fur, mos, ros, pus, rus, & ſimilia. Breuia ſunt, ab, ob, ſed, ad, et, ut.

Quae excipiuntur?

Enclitica, que, ne, ue: pro nec, pro neque. Hic pronomen et an indifferentia: per, in, & cor breuia.

IV *An non poſſumus eodem modo quantitatem paenultimarum ſyllabarum cognoſcere ex paenultima terminatione?*

Imò poſſumus: ſed in quibuſdam dumtaxat dictionibus: de quibus dantur hae ſeptem regulae.

IV *Dic primam regulam de medijs ſyllabis.*

Nomina denominatiua, quae exeũt in Icus, Alis, Ilis, Anus, Enus, Inus, Aris, Orus, Oſus, Atus, Itus, Vtus, & Iuus: paenultimam habent natura longam.

ICVS: ut amicus, apricus, caprificus, lumbricus, pudicus, poſticus, umbilicus. Eandem paenultimam habent breuem, lubricus, uitricus, ruſticus, & quaedam alia. Item peregrina Getulicus, Germanicus, Comicus, Tragicus, ac conſimilia.

ALIS: ut, furialis, mortalis, natalis, canalis.

ILIS: ut, exſilis, ſeruilis, puerilis, anilis, uirilis, infantilis.

ANVS: ut humanus, ruſticanus, primanus, profanus. Item primitiua pleraque: ut, ſanus, uanus, canus, planus, anus pro podice: praeter manus, nanus, anus pro uetula: quae paenultimam corripiũt.

ENVS:

ENVS: ut egenus, plenus; uerbalia magis, quam denominatiua nomina.
INVS: ut clandestinus, mediastinus, caballinus, uicinus, amitinus, binus, trinus, catinus: & quae significant tempus: ut matutinus, uespertinus, serotinus, diutinus, praeter crastinus: aut quae significant formam: ut mustelinus, murinus, porcinus, anserinus. Breuia sunt in paenultimis, finientia INVS, quae materiem significant: ut prasinus, sandicinus, faginus, oleadinus, crystallinus.
ARIS: ut familiaris, puellaris, consularis.
ORVS: ut canorus, odorus, sonorus.
OSVS: ut uinosus, dolosus, uitiosus, montosus.
ATVS: ut togatus, chlamydatus, petasatus, braccatus.
ITVS: ut pellitus, caeritus, auritus.
VTVS: ut astutus, cornutus, uersutus.
IVVS: ut festiuus, furtiuus, fugitiuus.

IV *Dic secundam regulam.*

Nomina, quae desinunt in Do, Go, Al, Ela, Ile, Imen: orta a uerbis quartae coniugationis: paenultimas habent natura productas.
DO: ut, capedo, cupido, crepido, libido, hirudo.
GO: ut, aerugo, ferrugo, fuligo, porrigo, farrago.
AL: ut, Bacchanal, ceruical, minutal, tribunal, uectigal, Excipe animal, puteal.
ELA: ut, clientela, tutela.
ILE: ut, cubile, bouile, equile, monile, mantile.
IMEN: ut, farcimen, lenimen, molimen.

VMEN:

VMEN: ut, numen, flumen, tegumen, legumen.

IV *Dic tertiam regulam.*

Quae in timus exeunt, paenultimas corripiunt: quae uerò in trimus, easdem producunt: ut legitimus, finitimus, aeditimus, paenultima breui: contra matrimus, patrimus. Catull. 1. Epigr.

IV *Dic quartam regulam.*

Nomina in Icius, antepaenultimam breuem habent: ut patricius, ficticius, triticeus, natalicius, Saturnalicius. Martialis tamen tertiam a fine syllabam, in uoce suppositicius produxit.

IV *Dic quinctam regulam.*

Verbalia in Ilis, paenultimam sua natura corripiunt: ut flexilis, pensilis, sensilis.

IV *Dic sextam regulam.*

Verba in urio, u corripiunt: in utio, u producunt.

VRIO: ut esurio, nupturio, dormiturio, caenaturio. praeter prurio, & scaturio: ut quibusdam est uisum.

VTIO: ut balbutio, effutio, deglutio, caecutio.

IV *Dic septimam regulam.*

Verba in Igo, primae coniugationis, paenultimam sua natura producunt: ut instigo, uestigo, fatigo, castigo. Sed haec, & similia, melius docebit usus, omnium artium magister, quam praecepta, & regulae.

IV *Quo modo cognoscitur syllabae quantitas per Analogiam?*

Comparando similia similibus: ut quia dicimus,

mus,uespertinus, clandestinus, paenultima longa: dicamus etiam serotinus,diutinus,eadem ratione. Scalig.cap.97.

IV *Quomodo cognoscitur syllabae quantitas usu?*

Vsus,quem penes arbitrium est,& uis,& norma loquendi, nūc olim obtinuit: ut quaedam syllabae inter pronunciandum attollerentur, quaedam deprimerentur,quaedam producerenntur, quaedam corriperentur. Sed, quia Latinae linguae usus hodie nulli genti est maternus: ideo ex Poetarum libris solis addisci potest,ac debet: quae syllabae sint longe,quae breues,aut ancipites.

De praecipuis carminibus: unde discenda est syllabarum Quantitas.
Cap. VI.

IV *Ex quibus Poetis praecipue cognosci potest syllabarum,in Latinis dictionibus Quantitas?*

Cum ex omnibus antiquis: tum uero in primis ex iis, qui uel Hexametros scripsere: ut Virgilius, Lucretius,Catullus,Ouidius in Metamorphosi,Horatius,Persius,& Iuuenalis in Satyris, Lucanus, Statius,Claudianus, Silius Italicus, & similes: uel qui hexametris adiunxere pentrametros: ut Tibullus, Propertius, Ouidius in reliquis libris, Catullus, & Martialis in Epigrammatis: uel qui Hendecasyllabos

bos composuere: ut, quos modo dixi, Catullus, & Martialis. Nam haec tria carminum genera, ad cognoscendam quantitatem syllabarum oppidò sufficiunt. Discant igitur adolescentes, postquam initia Etymologiae, & syntaxeos perceperint, etiam uersus, quos dixi, in suos pedes, seu numeros resoluere: & pedes ipsos in syllabas. Nam hinc facili labore addiscent, quas syllabas Poetae ueteres, ex communi loquendi usu, uel produxerint, uel corripuerint. Quin imò tribus hisce carminum generibus, aut horum uno saltem probe cognito, reliqua etiam lyricorum, & comicorum carmina, nullo negotio pueri poterunt condiscere, & in suos pedes retexere.

IV *Quid est Hexameter?*

Est, ut nomen ipsum declarat, uersus, sex metris, seu pedibus constans: quorum quattuor priores, aut spondaei sunt, aut dactyli promiscue: quinctus solummodo dactylus: sextus solummodo spondaeus, uel etiam trochaeus: ut

Omnia conando docilis solertia uincit.
Virtus est uitium fugere, & sapientia prima.
Stultitia caruisse: uides, quae maxima credis
Esse mala: exiguum censum, turpemq. repulsam
Quanto deuites animi, capitisq. dolore. Hor. 1. Ep.

IV *Quid est Spondaeus?*

Est pes, constitutus ex duabus syllabis: utraque longa: ut ueni, uidi, uici.

IV *Quid est Dactylus?*

Est pes, constitutus ex tribus syllabis: quarum prima est longa, sequentes duae breues; ut Fit uia:

rumpite: undique. Sicut in hoc uersu quattuor habebis dactylos, & duos spondaeos, si resoluas: Omnia sunt homi num tenu i pen dentia filo. De trochaeo postea.

IV *Quid est Pentameter?*

Est, ut nomen indicat, uersus constans quinque metris, seu pedibus, nempe duobus spondaeis, uel dactylis promiscuè, & superflua syllaba: duobus dactylis solis, & iterum superflua syllaba: quae cũ priori coniuncta, spondaeum uel trochaeum efficit: ut, In rebus magnis & uoluisse sat est.

Non datur ad Musas currere lata uia.
Est uirtus placitis abstinuisse bonis.

IV *Quid est Hendecasyllabus?*

Est, ut nomen ostendit, uersus undecim habens syllabas, seu quinque pedes: primum spondaeum, uel trochaeum, aut etiam iambum: secundum dactylum, reliquos tres trochaeos: aut ultimum etiã spondaeum: ut,

Cui dono lepidum nouum libellum,
Arida modo punice expolitum?
Corneli, tibi: nanq. tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas.

Martialis, quod sciam, primum pedem hic semper facit spondaeum.

IV *Quid est Trochaeus?*

Est pes, constans duabus syllabis, priori longa, posteriori breui: ut arma, annus.

IV *Quid est Iambus?*

Syllaba longa breui subiuncta uocatur iambus.

Eſt enim pes priori contrarius: conſtans duobus ſyllabis, prima longa, altera breui: ut ama, dies.

De Tenore. Cap. VII.

I I I *Quid eſt tenor ſyllabae?*

Tenor, Graece τόνος, eſt modus ſyllabae; quo in pronunciando uel attollitur, uel deprimitur. Atque haec dimenſio ſyllabae fit ſecundum alitudidinem ſurſum, & deorſum.

I I I *Quot ſunt tenores?*

Tres. Acutus, Grauis, & Circumflexus.

I I I *Quid eſt acutus tenor?*

Eſt modus ſyllabae: quo inter pronunciandum attollitur. Huius figuram antiqui fecere uirgulam, a ſiniſtra adſcendentem in dextram noſtri partem, uel a dextra deſcendentem in ſiniſtram, ſic ´: Indoctusq. pilae. certóue, falſóne.

I I I *Quid eſt grauis tenor?*

Eſt modus ſyllabae: quo inter pronunciandum deprimitur. Eius figuram ueteres pinxere priori contrariam, ſic `: certò, falsò.

I I I *Quid eſt circumflexus tenor?*

Eſt modus ſyllabae, ex aliis duabus contractae, aut quaſi contractae: quarum prior acutum, poſterior grauem tonum haberet: Itaque figuram illius ſic pinxerunt ueteres, ut ex acuto, & graui ſit compoſita, ſic: ^ dixêre. Nam ueteres in longis ſyllabis duplicabant uocales, teſte Fabio,

bio: ut felix, palus: illi scribebant, feelix, paalus.

III *Quibus in syllabis locum habet tenor acutus?*

In ultimis, paenultimis, & antepaenultimis. In ultimis, fons, dens, scrobs, at, sed, cum. Nam mono syllabae dictiones referūtur inter ultimas syllabas. In paenultimis, ut lupus, agnus. In antepaenultimis: ut Cicero, Dominus, Virgilius.

III *Quae uocabula paenultimam acuunt?*

Dissyllaba omnia, quae eandem breuem, aut positione longam habent: & polysyllaba, quae eandē paenultimam habent positum longam: ut lupus, malus, homo, bonus, puer, breuis; agnus, mollis; uacca, pinguis. Sic externus, aduersus, aliquando, duntaxat, deinde, proinde, profecto. Nam, qui aliter ista pronunciant, eos Scaliger naturam rerum dicit confundere: ac proinde stultos esse. Hodie eandem syllabam acuunt: etiamsi longa natura sequatur: ut custos, sacerdos.

III *Quae uoces acuuntur in antepaenultimis?*

Quaecunque paenultimam habent breuem: ut amabilis, flexibilis, miseria, misericordia.

IV *Quae excipiuntur?*

Graeca, in quibus fere proprius suae linguae tenor seruatur: ut Philosophia Theologia. Item peregrina: ut Maria, Helias. Tum quae per apocopen afferuntur, accentum integrarum retinent: ut tugúti, Mercúri, Valéri, Virgíli. Nam antiqui dicebant: Mercurie, Valerie, Virgilie. Neque obstat nobis Gelliani illius Nigidij auctoritas lib. 13. c. 24.

Caeterum

Ceterum hic obseruādam: an fiat alicuius Graecae uocalis aut diphthongi immutatio. Nam tum simul etiam mutatur tonus: ut fieri uidemus in uoce, Tragoedia, Comoedia, Academia.

III *In quibus syllabis locum habet grauis tenor?*

In omnibus syllabis, quae neque acuūtur, neque circumflectuntur: ut in uoce dominus, prima acuitur, & attollitur: caeterae grauantur, & premūtur. In uoce Homerus, secunda circumflectitur: caeterae graui tono deprimuntur.

III *In quibus syllabis utimur circumflexo?*

In ultimis solum, & paenultimis, quae non positu, sed natura sunt longae: ut sunt ex ultimis mos, dos, cos, rus, pus, lis, custos, sacerdos, uirtus. Sed hodie, ut dictum est, negligitur circumflexus in illis. Omnes enim monosyllabae dictiones, acuto tenore proferuntur. In paenultimis; ut, laena, amare, docere, audire: ubi tamen itidem audimus hodie acutum, pro circumflexo.

III *Habentne omnes uoculae suum tenorem proprium?*

Omnes, exceptis encliticis coniunctionibus que, ne, ue, nam: quae reiiciunt tonum suum in ultimā praecedentis dictionis syllabam: eamq. in pronunciando iubent attollere: ut animaduertere est in uoce, indoctusque. Nam hic ultima syllaba uoculae, indoctus, propter que annexum tollitur, & acuitur in pronunciando. Item fit in his: uocémque, colorémque; moliríne moram; quísnam.

III *An non tenor unius uerbi interdum ex una syllaba transferendus est in aliam?*

Immo maxime: ubicunque hoc syllabae paenultimae, quantitas requirit: ut sepélio, sépelis, sépelit; effódio, éffodis, éffodit; confúgio, cónfugis, cónfugit; calefácio, caléfacis, caléfacit. Idem esto iudicium de aliis similibus.

De spiritu. Cap. IIX.

III *Quid est spiritus?*

Est mensura, seu modus syllabae: secundum quem attenuatur, aut densatur, afflaturq. syllaba. Atque hic dimensus syllabae fit secundum latitudinem.

III *Quot sunt spiritus?*

Duo. Tenuis, seu lenis; & densus, seu asper.

III *Quid est tenuis spiritus?*

Est modus syllabae, secundum quem tenuiter, sine ullo afflatu, pronunciatur: ut abeo, ara, ora, onus, onustus.

III *Quid est densus spiritus?*

Est modus syllabae, secundum quem dense effertur, & quasi afflatur: ut habes, hara, hora, honos, honestus. Prior spiritus peculiari nota apud Latinos caret: posterior inter litteras receptus est; uocaturq. H adspiratio, seu afflatio.

III *Quid hic cauendum?*

Ne densus spiritus, & flatus in litteram degeneret.

ret. Vitioſe enim proferes michi, nihil, pro mihi, nihil; uechemens, pro uehemens; echò, pro ehó.

IV *Recténe pronunciatur TI, ſicut ZI, cum ſibilo?*

Q. Papirius Grammaticus, In his, inquit, ſyllabis ſonus litterae Z immiſtus, inueniri tantum poteſt, quae conſtant T, & I: & quas ſequitur littera quaelibet: ut iuſtitia, ambitio, otium. Mannuccius contra ſentit, & ſyllabam Ti, in genitiuo plurali ſequentium, iubet eodem ſono proferre: quo profertur in genitiuo ſingulari, ſequentis.

Idem hic auctor, docet, uitioſum audiri ſibilum in ſyllabis Ce, & Ci: uerbi gratia, in cedo, & cieo, qui non audiatur in Ca, Co, Cu: ut in uerbis cado, coeo, cudo. Neque enim aliter pronunciandum Latino Fabricius, quam Graeco φαβρίκιος. Neque aliter nobis Cyrus, quam illis κῦρος: neque aliter efferendum cedo, quam cado. Sed, quia uſus aliter obtinuit, cedendum eſt hodie, non rationibus prudentum artificum, ſed multitudini hominum inertium.

III *An uero G ante E, & I non recte pronunciatur, ut I conſona?*

Haudquaquam recte. Nam, ſicut inter uocem iuſtus, & uocem guſtus, magnum in pronunciando auditur diſcrimen: ita quoque differentia eſſe debet inter haec duo propria, Maius pro menſe; & Maius, pro ciue illo Romano. Quare idem eſſe debet ſonus litterae G, in uerbis gero, & gigno: qui eſt in uerbis gaudeo, caſtigo, guberno.

IV *An autem V consonans recte effertur, ut F?*

Non recte sic efferri, sunt duo, quae ostendunt. Alterum communis pronunciandi hanc consonam ratio; quae adhuc hodie reliqua est, in omnibus linguis a Latina exortis: nisi istam pronũciationem V consonae, dicamus esse cum ipsa Latina lingua corruptam, & deprauatam.

Alterum est, quod eruditi dicunt, u consonam ualere digamma Aeolicum: moti auctoritate Fabij; idq. digamma nihil aliud esse, quam gamma duplicatum, in morem nostri Germanici γγ: non autem in formam Ϝ Latinorum. Quae ratio, si bona est, certe uitiosa est pronunciatio illa uulgaris consonae V pro F. Verum his duabus rationibus accedit potior alia, quod discriminis caussa aliter efferendum est Vallo, & aliter Fallo: aliter Fenus, & aliter Venus: ne in loquendo decipiamus alios, uel decipiamur ipsi.

De Figuris Prosodiae. Cap. IX.

IV *Quot sunt figurae Prosodiae?*

Quattuor. Diastole, Systole, Synalaephe, & Ecthlipsis: fere poetis tantum usitatae.

IV *Quid est Diastole?*

Est productio syllabae natura correptae: ut, Exercet Diana choros.

IV *Quid est Systole?*

Est correptio syllabae natura productae: ut,
Cõnubio iungã stabili. Obstupui,steterũtq. comae.
Virgil.

IV *Quid est Synalaephe?*

Synaloephae, Latinis collisio, est cum elisis litteris uicinae coniunguntur: ut, Ill'ego.
Mult' ill' & terris iactatus & alto.

IV *Quid est Ecthlipsis?*

Ecthlipsis, quasi extritio, est, cum nulla uocali sequente, prior uocalis, aut consonans eliditur: ut,
Audin' quae loquitur, pro, audísne.
Viden' quam rem agat, pro uidésne.
Mortalin' me cedere, pro mortalíne.

IV *Cur in Grammaticis nihil praecipiendum est amplius, de pedibus, & numeris Poeticis; itemq. de diuersis carminum gradibus, quam quod supra est traditum?*

Quia ratio faciendi uersus, & ligatam componendi orationem, adeoq. poetas imitandi, a Grammatico non potest tradi: pertinentq. omnino ad Rhetorem; sicut & doctrina de numero oratorio: qui quidem poetico numero est longe inferior. Poeta enim esse non potest, qui orator non sit, & qui artem oratoriam non perdidicerit. Ideoq. satis mature ad carmen scribendum ueniet adolescent, ubi iam puritatem Latinae linguae, & quantitatem syllabarum, & troporum, ac schematum rationem non ignorauerit: tum etiam res, uersibus tractandas, & sublimiori orationis genere non

indignas, è Dialecticorum regulis, & philoſophorum libris praecognouerit. Quod tamen non eo dico, ut tardem ſtudia adoleſcentum: qui deſperatione debilitati, experiri id nolunt, quod ſe aſſequi poſſe diffidant. Sed par eſſe iudico, ut pueris proponantur neceſſaria, maximeq. utilia: & quorum per aetatem capaces ſunt; progrediendo ab una diſciplina ad aliam. Nam pernicioſi ſunt ſtudiis adoleſcentum paedagogi: qui prius Poetas illis imitandos proponũt, quam epiſtolam Ciceronianam poſſint imitari; & pure, atque eleganter ſcribere. Idem ergo illis plaerumque euenit, quod canibus in partum nimium feſtinantibus: ut caecos pariant catulos: aut quod Icaro accidit, qui ſine pennis uolando periit, & Icariis nomina fecit aquis. Sed de his hactenus. Nunc, ad Etymologiam ut tranſeamus, tempus eſt.



NICODEMI. FRISCHLINI QVAESTIONVM GRAMMATICARVM LIBER. TERTIVS

De Etymologia Nominum, & Pronominum.



De Etymologia generatim.

Cap. I.

III *Quid est Etymologia?*

Etymologia est, quae Dictionum significatus, & accidentia tradit: & unam uocem ab alia docet discernere: ut sciamus, quae dictio sit Nomen, aut Pronomen, uerbum aut participium, aut aliud.

IV *Vnde dicitur Etymologia?*

Dicitur ab ἔτυμον, quod est uerum; & λόγος, quod est, ratio. Tradit enim ueras dictionum rationes,

tiones, & ſignificationes: docetque, quód quaelibet dictio proprie, & uere ſignificet. Cicero Notationem uertit in Topicis.

IV *Quotuplex eſt Etymologia?*

Duplex. Vſitata, quae communem rationem, in tradendis uocum ſignificatibus, earumq. flexionibus obſeruat. & Figurata, quae communi uia recedit. De qua ſuo loco.

III *Circa quid uerſatur Etymologia?*

Circa dictiones, ſeu uoces: quoad per ſe aliquid ſignificant.

IV *Quid eſt dictio?*

Dictio eſt nota, mentis conceptum ſignificans. Priſc. lib. 11. Vel (ut Scaliger finit) eſt nota unius ſpeciei, quae eſt in animo, indita ei rei, cuius eſt ſpecies, ſecundum uocem, pro arbitratu eius, qui primo indidit. Breuius, & dilucidius ſic: Dictio eſt nota rei animo impreſſa, quae uoce proferri poteſt, ſecundum arbitrium auctoris.

II *Species dictionum quot ſunt?*

Octo. Nomen, Pronomen, Verbum, Participiũ, Praepoſitio, Aduerbium, Cõiunctio, & Interiectio. uulgo partes orationis dicuntur.

III *Quomodo diuiduntur?*

In declinabiles, ſeu flexiles: & in indeclinabiles, ſeu inflexiles.

III *Quot ſunt declinabiles?*

Quattuor. Nomen, Pronomen, Verbum, & Participium. Dialectici uocant συγκατηγορήματα, ideſt, uoces per ſe aliquid ſignificantes, puta, aut rem,

aut

aut perſonam, aut actionem, aut paſſionem.

III *Quare ſic dicuntur?*

Quia ſolae declinantur, hoc eſt, in extremis ſyllabis uariantur: ut dominus, domini; dominor, dominaris.

IV *Quae dictiones ex omni numero ſunt praecipuae?*

Duae. Nomen, & Verbum. His enim ſolis, & ſaepe unico tantum uerbo expletur oratio, ut amo, ſcribo. Sed hac de re in Dialecticis.

IV *Quot ſunt indeclinabiles?*

Itidem quattuor. Praepoſitio, Aduerbium, Coniunctio, & Interiectio. A Dialecticis uocantur συγκατηγορήματα, uoces conſignificatiuae, quae per ſe nihil certi ſignificant, niſi addantur ſignificatiuis: ut ad, per, ſed, ualde, o, nihil certi ſignificant, hoc eſt, nullum animi ſenſum exprimunt; niſi addantur Nomini, aut Verbo. Quamquam interiectio uim interdum habet nominis, aut uerbi.

III *Quare ſic dicuntur?*

Quia numquam uariantur in extremis ſyllabis.

De Nomine, eiuſq. diuiſione.
Cap. II.

III *Quid eſt nomen?*

Nomen eſt dictio declinabilis, per caſum: ſignificans rem primo, ſine tempore: ut, Nulla ſalus bello: pacem te poſcimus omnes. Addo autem

tem primo, propter relatiua pronomina, quae etiã significant rem, sed non primo. Nam relatiua primo significant nomina, ad quae referuntur in oratione. Deinde etiam significant rem, notatam Nomine.

IV *Quo modo differt nomen a uerbo?*

Nomen significat rem permanentem: ut equius homo, uerbum denotat rem fluentem: cuius natura sit esse tamdiu, quamdiu fit: ut, curro, amo, amor.

II *Quotuplex est nomen?*

Duplex. Substantiuum, & Adiectiuum.

II *Quid est substantiuum?*

Est nomen, quod significat hoc ipsum, quod est: ut homo, ceruus, pietas, uelocitas. IV Rectius essentiale diceretur, quam substantiuum: quemadmodum docet Scaliger. Nam & illis, quae significant absolutam quantitatem, & qualitatem, aut simile Accidens, sua est essentia perinde, ut illis, quae absolutam significant substantiam. Dialectici uocant Abstracta; diuiduntq. in uniuoca, & aequiuoca.

III *Quotuplex est nomen substantiuum?*

Duplex. Proprium, & Commune.

IV *Quid est Nomen proprium?*

Quod uni soli rei, personae ue conuenit: ut sunt Nomina propria uirorum, mulierum, mensium, uentorum, fluuiorum, montium, fontium, urbium, regionum, & similia. Dialectici uocant Indiuidua.

Quot

IV *Quot sunt genera Nominum propriorum?*

Quattuor. Praenomen, Nomen, Cognomen, & Agnomen: ut P. Cornelius Scipio Africanus.

IV *Quid est Praenomen?*

Quod cuique est proprium: ut Caius, Lucius, Marcus, Publius, Titus, Cnaeus, Spurius, Sextus: notaturq. fere una tantum littera maiuscula, aut duabus: ut C. L. M. P. T. Cn. Sp. Sex. Iuuenes horum aliqua etiam plurali numero usurpata, figurate: ut, Ingentes trepidare Titos.

IV *Quid est Nomen?*

Nomen est familiae nota: ut Iulius, Paullus, Tullius, Cornelius. Et hoc etiam plurale esse potest: ut, Ioues, Veneres, Mineruae, Decij, Curij, Fabij, fortesq. Camilli.

IV *Quid est Cognomen?*

Quod ab euentu accessit: ut Caesar, Aemilius, Cicero, Scipio, & haec similiter possunt efferri pluraliter: ut Caesares, Aemilij, Cicerones, Scipiones, & Scipiadae, Graeca forma, apud Virg. pro posteris.

IV *Quid est Agnomen?*

Quod aliquam euentus accessionem denotat, nihil alioqui differens suo significatu, a Nomine communi: ut dictator, Macedonicus, pater patriae, Africanus.

III *Quid est nomen commune?*

Quod multis rebus competit: ut sunt nomina uirilium, & muliebrium officiorum, nomina arborum, herbarum, stirpium, fructuum, leguminum, gemmarum, metallorum, uolucrum, piscium, &

anima-

animalium. Item nomina abſolutorum numerorum, menſurarum, ſpatiorum, pretiorum, ponderum, locorum, temporum. Denique uirtutum, uitiorum, morborum, affectuum animi, ueſtium, inſtrumentorum, & id genus alia. Haec a Dialecticis uocantur praedicabilia.

IV *Quotuplex eſt nomen commune?*

Duplex. Abſolutum, & Relatiuum.

IV *Quid eſt nomen abſolutum?*

Quod a nullo alio dependet, & uel ſubſtantiam, uel quantitatem, uel qualitatem ſignificat.

IV *Quae nomina ſignificant ſubſtantiam?*

Nomina hominum, animalium, uolucrum, piſcium, fluuiorum, uẽtorum, arborum, ſtirpium, herbarum, fructuum, leguminum, gemmarum, metallorum, & ſimilia.

IV *Quae nomina ſignificant quantitatem?*

Nomina menſurarum, & ſpatiorum: ut pes, digitus, paſſus. Numerorum: ut ternio, quaternio, ſenio, octonio. Locorum: ut domus, rus. Temporum: ut annus, menſis, dies, nox, hora.

IV *Quae nomina huc pertinent?*

Nomina, pretium rei ſignificantia: ut nummus, teruncius, ſeſtertius, as, dodrans, beſſis &c.

2 Nomina collectiua, quae in ſingulari numero multitudinem ſignificant: ut plebs, urbs, ciuitas, populus, exercitus. Dialectici, a quibus iſta conſiderantur accuratius, referunt haec ad genus Relationis.

IV *Quae nomina ſignificant qualitatem?*

Nomina uirtutum, uitiorum, perturbationum animi,

animi, morborum, & similia: ut pietas, candor, audacia, spes, metus, odium, pestis, febris.

III *Quid est relatiuum nomen?*

Quod ab alio dependet, atque ad aliud refertur: ut pater, filius; dominus, seruus; hera, ancilla; auus, nepos. De quibus plura in Dialecticis.

De adiectiuis, eorumq. significatibus. Cap. III.

II *Quid est adiectiuum?*

Est nomen, quod rem significat, quae alteri rei ita insit, ut etiam aliis inesse possit. Dialectici uocant concreta, & denominatiua: παρώνυμα. Ex Grammaticarum uulgo quidam etiam dixere Mobilia: propterea quod non, nisi uariata, competunt uiro & mulieri, ut albus, alba.

IV *Vnde dicitur adiectiuum?*

Ab adiiciendo, eo quod soleant ad substantiuas adiici, neque per seipsa in orationem uenire.

III *Quomodo diuiduntur adiectiua?*

Bifariam. Vel secundum terminationem, uel secundum significationem.

II *Quotuplicia sunt adiectiua secundum terminationem?*

Triplicia. Quaedam adiectiua sunt trium terminationum, quaedam sunt duarum, quaedam unius.

Quae

II *Quae adiectiua sunt trium terminationum?*

Quae desinunt in Er, & Vs: ut niger, nigra, nigrum; doctus, docta, doctum. Satur pro saturus; satura, saturum. Vetus, pro ueter; & Intercus, sunt generis omnis, & unius terminationis.

III *Quae adiectiua in R exeuntia aliter uariantur?*

Hic acer, haec acris, hoc acre; hic alacer, & alacris; haec alacris, hoc alacre; hic celeber, & celebris; haec celebris, hoc celebre; hic celer, haec celeris, hoc celere; hic uolucer, haec uolucris, hoc uolucre; hic campester, paluster, pedester, saluber; haec campestris, palustris, pedestris, salubris; hoc campestre, palustre, pedestre, salubre. Ex quibus tamen, etiam in utraque terminatione, communis generis quaedam reperiuntnr. Priscianus libro 5. cap. 1. Pauper, degener, cicur, par, cum compositis sunt generis omnis. Sic & bicorpor, discolor, memor, immemor, & alia quaedam: tametsi neutro genere rarius usurpata inueniuntur.

II *Quae adiectiua sunt duarum terminationum?*

Quae desinunt in As, & Is: ut hic, & haec Arpinas, & hoc Arpinate: hic, & haec fortis, & hoc forte: hic, & haec iuuenis, & hoc iuuene, antique.

III *Quid hic sciendum?*

Sunt adiectiua quaedam & trium, & duarum terminationum simul: ut unanimus, a, um; unanimus, e; imbecillus, a, um; imbecillis, e. De quibus infra in Heteroclit. s. Necessum, & Necesse, sub-

ſtantiue uſurpantur genere neutro; ut bonum, ac malum, & ſimilia. Nam ueteres dixere: neceſſus, a, um; & Neceſſis, e.

II *Quae ſunt unius terminationis adiectiua?*

Quae deſinunt in Ns, & X, aut alias duas conſonantes: ut hic, & haec, & hoc ſapiens, amans, ſons, inſons, nocens; hic, & haec, & hoc felix, audax, praecox; hic, & haec, & hoc concors, diſcors, expers, inops. In Am unum eſt hic, & haec, & hoc nequam; cuius comparatiuum nomen eſt nequior, ſuperlatiuum nequiſſimus.

III *Quae huc pertinent?*

Adiectiua quaedam in R: de quibus ante eſt dictum.

Item in Es, & Os: ut Diues, hebes, teres, deſes, ſuperſtes, locuples; compos, impos, &c.

IV *Quotuplicia ſunt adiectiua Nomina, quo ad ſignificationem?*

Duplicia. Abſoluta, & Relatiua.

IV *Quae ſunt adiectiua abſoluta?*

Quae ſignificant res abſolutas, nempe, ſubſtantiam, quantitatem, & qualitatem: ut uiuus, exanimis; longus, altus, craſſus, ſeſquipedalis, annicus, unus, duo, tres; albus, calidus, frigidus, circularis.

IV *Quae ſignificant quantitatem?*

1 Collectiua: ut omnis, cunctus, nullus, nemo, pro cuius neutro utimur ſubſtantiuo nihilum, ſeu nihil. Dialectici has notas rerũ uocant ſigna uniuerſalia; iisq. metiuntur quantitatem Enunciatorum.

Parti-

2 Partitiua,ſeu diſtributiua : ut unus, ullus, aliquis, non nullus, ſolus : uter, neuter, uterque, alter, alteruter. Dialectici uocant ſigna particularia.

3 Numeralia, h. e. Adiectiua quantitatem diſcretam, ſeu numerum ſignificantia.

4 Adiectiua, quae ſignificant quantitatem confuſam : ut tantus, quantus; totus, quotus; tot, quot. Et hinc compoſita : ut quotuplex, quotenus, quotuplus, quotennis.

IV *Quotuplicia ſunt nomina numeralia?*

Septemplicia 1 Quaedam ſunt cardinalia : ut unus, duo, tres, quattuor, quinque, ſex, &c. uſque ad centum. Et compoſita a centum, ducenti, trecenti, quadringenti, &c. uſque ad mille. Horum interrogatio eſt quot.

2 Quaedam ſunt ordinalia, quae ultimum eius numeri ſignificant: ut, primus, ſecundus, tertius, quartus, quinctus. Horum interrogatiuum eſt quotus. Pertinent huc, primanus, ſecundanus, tertianus: qui ſit primi, ſecundi, & tertij ordinis.

3 Quaedam ſunt diſtributiua, quae eundem numerum ſingulis diſtribuunt, e multis: ut, Bini, terni, trini, quaterni, quini, ſeni, ſepteni, octoni, noneni, deni &c. Horum interrogatio eſt quotenus.

4 Quaedam ſunt multiplicatiua: quae ſignificant partes, cum re cohaerentes: ut ſimplex, duplex, triplex, quadruplex, quinctuplex, &c. Horum interrogatio eſt quotuplex.

5 Quaedam ſunt ponderalia : quae ſignificant

partes

partes a toto separatas : ut simplus, duplus, triplus, quadruplus, quintuplus &c. Horum interrogatio est quotuplus.

6 Quaedam sunt temporalia, quibus exprimitur tempus : ut Anniculus, bimus, trimus, quadrimus, biennis, triennis, quadriennis, quinquennis, sexennis, septennis, octennis, nouennis, decennis. Horum interrogatiuum est quotennis.

7 Quaedam sunt, quae significant numerum rerum extranearum, & non cohaerentium : adeoq. totum in se non multiplicatum : ut binarius, ternarius, quaternarius, quinarius, senarius, septenarius, octonarius, quinquagenarius, sexagenarius &c. ut Homo quinquagenarius, qui est annorum quinquaginta, non qui sit quinquagecuplus. Grex quinquagenarius, apud Columell. qui sit quinquaginta capitum. Lapis centenarius, qui est centum librarum, non centuplus.

IV *Quae adiectiua significant qualitatem?*

Adiectiua significantia notitiam, desiderium, copiam, affectum animi, seu curam. De quibus in syntaxi.

Item significantia qualitatem confusam: ut talis qualis.

De differentijs adiectiui relati.
Cap. IV.

IV *Quae adiectiua sunt relata, seu relatiua?*

Quorum significatio refertur ad aliud; ut significatio rei possessae ad possidentem; uel rei comparatae, ad aliam comparatam; uel etiam ad plures: ut cum dico, Gens Hectorea, intelligo gentem, cuius dominus, & quasi possessor sit Hector. Sic, cum dico, Plato est doctior, necesse est subintelligi aliquem, aut etiam subiungi in oratione: quo nempe sit doctior Plato: ut Plato est doctior Aristotele. Iterum. Plato est doctissimus: ergo aliqui sunt Platone indoctiores. Haec simplex sit propositae definitionis declaratio. Nam accuratior ad dialecticum pertinet.

IV *Quot sunt species Adiectiuorum, quae dicuntur relata?*

Tres. Possessiua, Comparatiua, & Superlatiua.

IV *Quod est Nomen possessiuum?*

Possessiuum est, quod denominat id, cuius est: ut, Euandrius ensis, qui sit Euandri. Fabulae Terentianae, quae sint Terentij. Equus Seianus, qui sit Seij. Ager Pompeianus, qui sit Pompeij. Morbus Herculeus, qui sit, uel fuerit Herculis. Sic dicuntur ludi Olympij, Circenses, Megalenses, Robigales, Florales, Saturnales.

IV *Quot sunt terminationes possessiuorum?*

Sex praecipue. Eus, paenultima longa: ut Achil

leus,

leus, Pythagoreus: Graece Ἀχιλλεῖος, Πυθαγόρειος.
Eus, paenultima breui: ut Hectoreus, Herculeus, Caesareus.
IVS: ut Regius, Patrius, Euandrius, Saturnius, Olympius, Aeneius. Puppis Aeneia apud Virg.
ANVS: ut Seianus, Pompeianus, Terentianus.
ENSIS, ut Circensis, Megalensis.
ALIS: ut Robigalis, Floralis, Regalis.

I V *Quid est nomen comparatiuum?*

Comparatiuum est, quod significat qualemcumque excessum, qui refertur ad alterum: ut doctior, melior. Scaliger contendit rectius dici ὑπερθετικὸν superlatiuum, quam comparatiuum, propterea quod comparatio per se non significet excessum.

III *Quot sunt terminationes comparatiui Nominis?*

Duae. Or: ut doctior; Vs: ut doctius.

III *Vnde formatur nomen comparatiuum?*

A casu nominis absoluti desinente in I: addendo or, uel us: ut doctus, docti, doctior, doctius; felix, felicis, felici, felicior, felicius; habitus, habiti, habitior. Sic a superus, inferus, exterus, posterus: quorum pluralia sunt usitatiora. uel secundum antiquos, a nominibus, super, infer, exter, poster, anter, citer, ulter, inter, propis, potis, penitus, & deter formantur, superior, inferior, exterior, posterior, anterior, citerior, ulterior, interior, propior, potior, penitior, deterior. Et a Graeco ocys, ocyor; & a pris, prior, secundum Scaligerum. Stat. 11. Thebaid.

Sed quid apud tales, quis non sua pignora curae,
Exter honos? Citer apud Catonem legitur.
Grammaticorum uulgus ista comparatiua nomina deducit a praepositionibus supra, infra, extra, post &c. cum tamen praepositiones istae descendant potius a Nominibus. Sicut hoc suo demõstratur loco.

IV *Quid est nomen superlatiuum?*

Superlatiuum est, quod significat summum gradum excessus, qui refertur ad plures: ut doctissimus aliquis dicitur, uel collatione facta cum aliis: uel, qui omnem doctrinae ambitum cõpleuit. Priori ratione inter plures, non potest nisi unus esse doctissimus: posteriori modo multi possunt esse doctissimi. Nam, si Plato est omnium philosophorum doctissimus, tum ceteri cum Platone collati non erunt doctissimi.

IV *Quot sunt terminationes superlatiui Nõis?*

Tres. Rimus, Simus, Limus.

III *Quae superlatiua desinunt in Rimus?*

Quorum absoluta desinunt in R, ea addunt ad finem Rimus: ut niger, nigerrimus; teter, teterrimus; miser, miserrimus; satur, saturrimus. Et ab antiquis, matur, nuper, & ueter: pro quibus hodie dicimus maturus, nuperus, & uetus: formãtur maturrimus, nuperrimus, ueterrimus. Sic ab obsoletis, super, infer, exter, poster, uenerunt superrimus, inferrimus, exterrimus, posterrimus, quae postea syncopẽ passa sunt, supremus, & summus; infimus, & imus; extremus, postremus. Item a cis, citis; uls, ultis; ins, intus; uenẽre citimus, ultimus, & intimus.

mus. Nam cis, citis; uls, ultis, olim fuisse in usu, docent Varro, Verrius, & Pomponius de orig. iuris. Simile esto de similibus iudicium.

IV *Quae excipiuntur alia?*

Duplicia de se formant Superlatiua.

Sinister, sinisterior, sinisterrimus, & sinistimus.
Dexter, dexterior, dexterrimus, & dextimus.
Maturus, maturior, maturrimus, & maturissimus.

II *Compara niger.*

Niger,	nigrior,	nigerrimus.
Nigra,	nigrior,	nigerrima.
Nigrum,	nigrius,	nigerrimum.

II *Compara miser.*

Miser,	miserior,	miserrimus.
Misera,	miserior,	miserrima.
Miserum,	miserius,	miserrimum.

Plaut. in Capt. Miser homo est, qui ipse sibi, quod edat, quaerit; & id aegre inuenit.
Sed ille est miserior, qui & aegre quaerit, & nihil inuenit. Ille miserrimus est, qui, cum esse cupit, quod edat, non habet.

III *Quae superlatiua desinunt in simus?*

Quorum absoluta aliter quam R finiunt, ea addunt S, & simus ad casum absoluti sui Nominis, desinentem in I: ut Doctus, docti, doctissimus. Fortis, forti, fortissimus. Felix, felicis, felici, felicis. Sapiens, sapientis, sapienti, sapientis. Prisc. li. 3. c. 2.

IV *Quae excipiuntur?*

Mediocris, medioximus; propis, proximus; unde etiã aliud comparatiuũ formauit Ouid. proximior.

II *Compara Doctus.*

Doctus,	doctior,	doctiſſimus.
Docta,	doctior,	doctiſſima.
Doctum,	doctius,	doctiſſimum.

II *Compara Fortis.*

Fortis,	fortior,	fortiſſimus.
Fortis,	fortior,	fortiſſima.
Forte,	fortius,	fortiſſimum.

II *Compara Felix.*

Felix,	felicior,	feliciſſimus.
Felix,	felicior,	feliciſſima.
Felix,	felicius,	feliciſſimum.

II *Compara Sapiens.*

Sapiens,	ſapientior,	ſapientiſſimus.
Sapiens,	ſapientior,	ſapientiſſima.
Sapiens,	ſapientius,	ſapientiſſimum.

IV *Quae ſuperlatiua deſinunt in Limus?*

Haec quinque cum ſuis compoſitis. Facilimus, agilimus, gracilimus, humilimus, ſimilimus. Poetae quadam Epentheſi geminant ll, ſyllabae producendae cauſſa: ut Iuuenalis,

Rara auis in terris, nigroq. ſimillima cygno.

IV *Quae adiectiua carent ſuperlatiuo?*

Anter, anterior; adoleſcens, adoleſcentior; iuuenis, iuuenior. & per ſyncopen, Iunior, quod eſt uſitatius nomen. Senex, ſenior: ab uſitato Genitiuo ſenis; pro quo antiqui dixerunt, ſenecis. decliuis, decliuior; procliuis, procliuior; barbarus, barbarior; diues, ditior; & id genus alia, quorum ſuperlatiua non exſtant.

IV *Quae nomina adiectiua, aliter de se formant comparatiua, & superlatiua?*

1 Adiectiua, quae ante Vs, uel Is uocalē habent; ea formant comparatiuum, adiecta uoce magis. & superlatiuum, adiecta uoce maxime: ut,

Pius,	magis	pius,	maxime pius.
Tenusi,	magis	tenuis,	maxime tenuis.
Idoneus,	magis	idoneus,	maxime idoneus.
Strenuus,	magis	strenuus,	maxime strenuus.

Inuenies tamen, & piissimus, a pius; & pientissimus, a piens. Item tenuior, & tenuissimus; strenuior, strenuissimus. Prisc. lib. 3. cap. 1.

Nam strenuiori deterior si praedicet suas
Pugnas, de illius ore fient sordidae. Plaut.

2 Comparantur & haec irregulariter.

Bonus,	melior,	optimus.
Malus,	peior,	pessimus.
Paruus,	minor,	minimus.

Lucretius tamen Paruissima corpora dixit.
Multus, plurimus,
Multa, plurima, absque comparatiuo singulari.
Nam plurale comparatiuum est utrobique plures.
Multum, plus, plurimum.

3 Maledicus, beneuolus, grandiloquus, magnificus, & similia, mutuātur sua cōparatiua, & superlatiua a participiis, uel principalib. noīb. antiquis; maledicens, beneuolens, grandiloquens, magnificens.

III *Quaenam adiectiua formant de se comparatiuum, & superlatiuum?*

Plaeraque omnia quantitatem continuam, aut

qualitatem, aut relationem, aut ſimilitudinem, utilitatem, facultatem, atque amicitiam, aut contra ſignificātia; ut longus, latus, craſſus, denſus, magnus, paruus, altus. Item doctus, albus, candidus, pius, docilis, facilis, rotundus, ſimilis, commodus, aptus, amicus, gratus, & id genus quamplurima. Nam horum omnium ſignificatio augeri, minuiq. poteſt. id, quod quantitati, & qualitati eſt proprium; ſicut in Dialecticis traditur. In primis autem conſiderandum eſt, quorum Nominum comparationem uſus approbarit. Nam canus, almus, criſpus, ſitibundus, moribundus, & ſimilia non comparantur.

IV *Quae alia nomina pertinent ad adiectiua?*

Omnia nomina trium, duarum ue terminationum: ut ſunt denominatiua, deminutiua, gentilia, uerbalia, participialia, & aduerbialia nomina. De quibus infra, cap. X.

De numeris & perſonis nominum.
Cap. V.

II *Nomini quot accidunt?*

Septem. Numerus, Perſona, Caſus, Genus, Species, Figura, & Declinatio. Nam hoc fere ordine iſtos dictionum affectus eſſe tradendos monet Scaliger lib. 4. de cauſſis ling. Lat. cap. 86.

II *Numeri nominum quot ſunt?*

Duo. Singularis: ut homo. Pluralis: ut homines.

Quid

III *Quid eſt ſingularis?*

Eſt, qui tertium, & definitum numerum ſignificat, ut Homo. Quia ſcimus, quantum ſit hominum, cum dicimus, Homo.

III *Quid eſt pluralis?*

Eſt, qui incertum, atque indefinitum numerum ſignificat: ut, Homines. Si enim dicas Homines, quot ſint, neſcies. Vt autem ſcias, additur numerus determinans: uerbi gratia, decem homines.

IV *Habentne utrumque numerum omnia nomina?*

Non habent. Nam quaedam ſunt tantummodo ſingularia: quaedam dumtaxat pluralia.

IV *Nomina, quae ſingularis numeri tantum ſunt, quotuplicia ſunt?*

Triplicia. Quaedam ſingularia tantum ſunt, pro numeri natura: quaedam ratione: quaedã uſu.

IV *Quaenam ſingularia tantum ſunt, pro natura numeri?*

Nomina rem unam ſignificantia: ut, unus, una, unum: Caeſar, Lucretia, Sol, Luna, mundus, aether, aer, pontus, pelagus, ſalum, humus, tellus.

Item nomina certum aliquod, & unum quaſi tempus ſignificantia: ut, diluculum, meridies, ueſper, uer, aeſtas, autumnus, hiems, gelu, inſtitium, infantia, pubes, adoleſcentia, indoles, iuuentus, ſenectus, ſenium, aeuum.

IV *Quae nomina ſunt ratione quadam, tantum ſingularia?*

Nomina uirtutum, uitiorum, morborũ, metallorum,

lorum, & fructuum, aliarumq. rerum, quadam ratione; sunt tantum singularia, eo quod una uoce de multis indiuiduis praedicari possunt. Nam, ut Priscianus ait, tam singulariter, quam pluraliter prolata idem possunt significare.

1 Nomina uirtutum: ut, ueritas, iustitia, talio, fortitudo, pax, gloria, fama, requies, spes, fides.

2 Vitiorum: ut, ira, audacia, uis, fuga, paupertas

3 Morborum: ut, fames, sitis, tussis, pro morbo tabes, lues, pus, labes, pestis, contagio, sopor, mors, letum, fel, pituita, bilis, tamquam caussae morborũ. Vel contra: ut, lux, iubar, uita, salus, sanguis.

4 Metallorum: ut, ferrum, plumbum, cuprum, stamnum, orichalcum, electrum, argẽtum, aurum; & quae his sunt cognata: ut, uitrum, nitrum, lutũ, caenum, limus, fimus, pix, resina.

5 Fructuum, & leguminum: ut, triticum, eruum, hordeum, siligo, lens, lac, mulsum, uinum, acetum, garum, oleum, butyrum, piper, foenum, cordum. Vide Gell. lib. 19. cap. 8.

IV *Quae nomina sunt usu tantum singularia?*

Indeclinabilia: ut, uirus, fas, nefas, nihil: & quae numquam plurali numero, ab auctoribus usurpata inueniuntur. ut aluus, caestus, pro cingulo Veneris, fascinum, album: & consimilia.

IV *Quid hic obseruandum?*

Multa ex his singularibus etiam plurali numero usurpata reperiuntur. Cicero 1. de diuinatione: Duo uisi Soles, & tres Lunae. Idem: Democritus

tus ait innumerabiles eſſe mundos. Aeſtates dixit Plinius; hiemes Horatius; autumnos Ouidius, paces Horatius: glorias Cicero: ſpes ijdem: iras, peſtes, mortes, uitas, quam plurimi: hordea Virgilius, uina plaerique.

I V *Nomina pluralis numeri tantum quotuplicia ſunt.*

Triplicia. Quaedam pro numeri natura ſunt tantum pluralia; quaedam ratione: quaedam uſu.

I V *Quae ſunt pro numeri natura dumtaxat pluralia?*

Quae tantum exprimunt pluralem: ut, Duo, ambo, tres, quattuor, centum: Liberi, gemini, natales, maiores, penates, primores, proceres, ſales, manes, lemures, ſuperi, inferi, caelites, cani, artus, annales, faſti, pugillares, carceres, antes fori cancelli. Et haec foeminina, offuciae, inſidiae, uires, minae, praeſtigiae, copiae pro exercitu: ſuppetiae, opes, diuitiae, exuuiae, manubiae, quiſquiliae, reliquiae, ſordes, lactes, litterae, pro epiſtola, aedes pro domo: bigae, quadrigae. Item haec neutra: arma, bellaria, crepundia, caſtra, hyberna, ſtatiua, moenia, exta, praecordia. Nam haec non poſſunt eſſe, res numero unicae: ſed, ſua natura pluralitatem inferunt.

I V *Quae huc pertinent?*

Nomina librorum, ut Georgica, Bucolica, Chronica, id eſt, annales: Grammatica, Dialectica, pluralia neutra, & horum ſimilia.

Quae

IV *Quae nomina sunt ratione quadam tantum pluralia?*

Nomina dierum festorum, significantia diem unum, sed comprehendentia multas unius diei festiuitates: ut, Saturnalia, significat unum diem. Ratio subest. Comprehendit enim & ludos, & iocos, & mercatus, & comissationes. Sic sunt pluralia tantum: Nundinae, Indutiae, feriae, exequiae, inferiae, iusta, parentalia, sponsalia, nuptiae, repotia, Compitalia, Floralia, Robigalia, &c.

IV *Quae nomina sunt usu tantum pluralia?*

Quae unam rem in plurali denotant, ex consuetudine sermonis: ut, clitellae, phalerae, thermae, secundae, latebrae, tenebrae, salebrae, argutiae, facetiae, ambages, nugae, grates, munia, uinacea, tesqua, rostra. Nam in his magna ex parte dominatur usus, non numquam contra rationem.

IV *Quid hic notandum?*

Multa inueniuntur etiam singulariter usurpata ab auctoribus: quae uulgo habentur pro pluralibus tantum: ut specimen humanitatis, salis, suauitatis, leporis. Cic. Ne quaeratur latebra periurio. Idem: Multiformi ambage haec torsit ingenia contemplantium. Plin.

Cuius quadrigam cooperuit alis musca. Idem:
Rorifera gelidum tenuauerat aera biga. Stat.
Littera pro epistola apud Ouidium, & alios Poetas.
Ruuntq. effusi carcere currus, Virg. pro carceribus.

Stans

Stans in ſummae puppis foro, Gell.libro quincto.
Agnoſco procerem, Iuuenal.
Stabant ad fores aedis eius, in qua rex ueſcebatur, Curtius.In aede T.Annij hominis honeſtiſſimi, Cic.
Ne rigidam timidis uocibus obde forem, Ouid.
Apud ſordem urbis, & faecem. Cicero lib.1.ad Att.
Audaci argutia fuit, Gell. Facilis eſt illa concurſatio, & blanditia popularis, Cicero pro Plancio.
Voluptas eſt illecebra turpitudinis, Idem.
Ille iter adducta circum caput egit habena, Virg.
Reliqua docebit uſus.

II *Perſonae nominum quot ſunt?*

Tres.

II *Quae eſt prima?*

Quae de ſeipſa loquitur: ut, Hannibal peto pacem. Cotta conſul facio, Haec perſona eſt tamquam cauſſa efficiens ſermonis.

II *Quae eſt ſecunda?*

Ad quam fit ſermo: ut, Ah Corydon, Corydon, quae te dementia cepit. Haec eſt tamquam cauſſa finalis. Nam hic eſt finis ſermonis, communicare cum alio, quod ſentis.

II *Quae eſt tertia?*

De qua fit ſermo: ut, Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexin. Haec eſt tamquam materia, uel materialis cauſſa ſermonis. Vide Scalig. lib. ſaepe citato, cap.76.& cap.178.

De

De casibus Nominum.
Cap. VI.

I V *Quid est casus?*

Est effectus terminationis a prima nominis inuentione diuersus: ut, domini, a Dominus. Nam inuentores indidere rebus nomina casu recto. Aristoteles dixit, πτώσει διαφέρειν τὰ παρώνυμα τῶν πρωτοτύπων.

II *Quot sunt casus nominum?*

Sex. Nominatiuus, Genitiuus, Datiuus, Accusatiuus, Vocatiuus, Ablatiuus. Scaliger ineptas, & friuolas esse has appellationes ostendit. Ideoq. censet casibus imponenda esse nomina secundum ordinem: ut primus dicatur primus: secundus, secundus: usque ad sextum: per quem intelligatur ablatiuus.

III *Quotuplices sunt casus.*

Duplices. Alij sunt recti, alij obliqui.

III *Quot sunt recti?*

Duo. Nominatiuus, & Vocatiuus. Nam hi plaerumque sunt similes; & a fronte uerborum construuntur: ut, Honos alit artes, Cic.

O formose puer, nimium ne crede colori.

III *Quot snnt obliqui?*

Quattuor rellqui: ut, Genitiuus, Datiuus, Accusatiuus, & Ablatiuus. Nam hi a rectitudine nominatiui quasi obliquantur: & in oratione construun-

tur

tur a tergo uerborum. Linac. lib. 1. Priscianus libro 5. in fine.

III *Habent ne omnes hosce casus omnia nomina?*

Non omnia. Nam quaedam nomina aliquibus casibus deficiunt.

IV *Quotuplicia sunt nomina, quae deficiunt casibus.*

Quadruplicia 1 Nam quaedam prorsus nullum habent casum. Graece ἄπτωτα: ut opus, necesse, necessum, instar, uirus, fas, nefas.

2 Quaedam unum solummodo habẽt casum: Graece μονόπτωτα: ut, Praesto solum in Datiuo singulari dicitur: Inficias solum in accusatiuo plurali. Macte in uocatiuo: & Macti apud Plin. itidem in uocatiuo, nisi Macte legendum sit. Sponte, impete, ingere, forte, uerbere, in solo ablatiuo. Varro tamen spontis, & Silius impetis dixisse leguntur.

3 Quaedam duos habent casus: Graece δίπτωτα: ut, tabi, tabo, suppetiae, suppetias: Grates in nominatiuo, & accusatiuo plurali solum dicimus.

4 Quaedam habent plures casus: ut, uicis, uici, uicem a uice, solo nominatiuo singulari carent, & plurali genitiuo. Sic dapis, dapi, dapem, a dape. Pluraliter dapes, dapum, dapibus, dapes a dapibus. Ad eundem modum declinatur per casus nomen frugis, precis & opis. Ambage in singulari dicimus: in plurali ambages. caeteri casus desunt. Vis singularis numeri tantum, caret solo Da-

tiuo.

tiuo. Dicimus enim uis, huius uis, uim, o uis, a ui. Antiqui etiam in nominatiuo, accusatiuo, & uocatiuo plurali dixere uis, pro quo nunc dicimus, uires, uirium, uiribus.

IV *Quae praeterea nomina aliquibus casibus dicuntur carere?*

Nomina collectiua, & partitiua, eorumq. similia, ut omnis, nullus, unus, ullus, solus, totus, tantus, quantus, talis, qualis, uter, alter, & neuter, uulgo creduntur carere uocatiuo. Contrarium tamen in multis euenire, ostendit usus, & lectio probatorum auctorum: ut,

Dijq. Deaeq. omnes, studium quibus arua tueri. Virg. Nemo non uidet omnes hic uocatiui casus esse. Quartae item declinationis nomina pleraque, uidentur genitiuis, datiuis, & ablatiuis destitui: praeter dies, res, acies, facies, & species. Cicero etiam specierum, & speciebus reijcit, ut Critici dicunt.

De generibus nominum. Cap. VII.

III *Quid est genus?*

Est nota sexus.

II *Genera nominum quot sunt?*

Quinque: Masculinum, Foemininum, Neutrum, Commune, & Omne.

II *Quid est masculinum genus?*

Est nota nominis, sexum masculinum indicans: per

per pronomen hic tamquam articulum: ut hic magister, candidus.

II *Quid est foemininum genus?*

Est nota nominis, sexum foemininum indicans, per pronomen haec: ut haec magistra, candida.

II *Quid est genus neutrum?*

Est nota Nominis, quae per pronomen hoc, uel indicat, uel utrumque sexum reiicit, ut hoc scamnũ: uel neque reiicit, neque statuit: ut hoc mancipium. Sexus etiam non nisi in animali est, aut iis, quae naturam animalis imitantur.

II *Quid est genus commune?*

Est nota nominis, utrumque sexum indicans, per pronomina hic & haec; ut hic & haec canis; hic & haec coniux; hic & haec sacerdos. Nam ista tam uirili, quam foemineo sexui sub una terminatione competunt, & de utroque dici possunt.

II *Quid est genus omne?*

Est nota nominis, quae utrumque, & neutrum sexum indicant, per pronomina hic & haec & hoc: ut hic felix, haec felix, hoc felix. Dicimus enim, felix uir, felix mulier, felix mancipium.

De regulis generalibus.
Cap. IIX.

IV *Quot modis cognoscuntur genera Nominum?*

Duobus. Significatione, & Terminatione.

IV *Quo modo significatione?*

Cum certas personas, certas ue res significant, ceu uiros, mulieres, & utrorumq. propria officia: item uentos, menses, montes, fontes, fluuios; urbes, regiones, arbores, fructus, uolucres, pisces, aut alia animantia, item numeros, & similia. Vel cum adiectiua nomina sunt, quae uariata tam uiris, quam feminis, & neutri quoque sexui competunt.

II *Quot traduntur regulae de generibus nominum, quae ex ipsa significatione cognoscuntur?*

Decem. dicunturq. uulgo Regulae generales.

II *Dic primam.*

Nomina uirorũ, officiorum, uirilium, mensium, uentorum, fluuiorum, & montium, sunt generis masculini.

1 Nomina uirorum: ut Caesar, Cicero, Virgilius.

2 Virilium officiorum: ut consul, praetor, praesul, scriba, dux, princeps, miles, eques, pedes, hostis, obses, fur, augur, pugil, lixa, collega, senex, auus, pater, filius, nepos, gener, frater, auunculus, affinis, sodalis. Nam isthaec nomina solis uiris masculino genere attribui leguntur. Atque hoc etiam in aliis fit animantibus; ut hic, uerres, aries, hircus, taurus, solo masculino genere usurpata reperiuntur.

3 Mensium: ut Ianuarius, Februarius, Martius, Aprilis, Maius, Iunius, Iulius, siue Quinctilis, Augustus, siue Sextilis, September, October, Nouember, December.

4 Ventorum: ut Eurus, Zephyrus, Auſter, Aquilus, Caecias, Corus, Vulturnus, Fauonius, Eteſiae.

5 Fluuiorum: ut Tiberis, Arar uel Araris, Tagus, Rhenus, Danubius, Sauus, Dauus, Hebrus.

6 Montium: ut Apenninus, Vogeſus, Helicon, Parnaſſus, Cithaeron, Lycaeus, Maenalus.

III *Quae nomina pertinent ad nomina uirorum?*

Nomina Gentilia unius terminationis: ut Macedo, Vangio, Teuto, Saxo, Turca, Phryx, Aethiops.

III *Quae fluuiorum, & montium nomina excipiuntur?*

Albula, Allia, Styx, Lethe, fluuij: Aetna, Alpes, Oſſa, Rhodope montes: ſunt genera feminini?

II *Dic ſecundam regulam.*

Nomina mulierum, muliebrium officiorum, regionum, inſularum, urbium, & arborum, ſunt generis feminini.

1 Nomina mulierum: ut Carmenta, Lucretia, Sappho, Iuno, Muſa, Venus.

2 Muliebrium officiorum: ut obſtetrix, nutrix, auia, anus, mater, filia, uirgo, neptis, nurus, ſoror, glos, fratria, matertera, quae nulli ſexui, praeterquã feminino conueniunt. Sic ouis, & uacca ſolo genere feminino uſurpari ſolent, & debent.

3 Regionum: ut Europa, Aſia, Africa, Libya, Italia, Germania, Gallia, Hiſpania, Peloponneſus, Aegyptus.

4 Inſularum: ut Corcyra, Melite, Creta, Lesbos, Cyprus, Delos, Tenedus.

5 Vrbium : ut Hierosolyma, Roma, Carthago, Athenae, Venetiae, Corinthus, Lacedaemon, Tyrus, Memphis, Lutecia.

6 Arborum : ut pyrus, malus, prunus, cerasus, ilex, fagus, quercus, abies, pinus.

III *Quae alia pertinent ad arborum nomina?*

Nomina fruticum, & herbarum pleraque: ut Nardus, myrtus, byssus, papyrius, biblus, hyssopus, cythisus, balanus, carbasus.

II *Quae urbium nomina excipiuntur?*

Vrbium nomina, quae E, Vm, aut Vr finiunt, sunt generis neutri: ut Praeneste, Soracte, Reate, Comum, Mediolanum, Patauium, Ticinum, Argentoratum, Tibur, Anxur, pro Tarracina, Horat.

2 Masculina sunt, Sulmo, Agragas, & pluralia Gabij, Veij, Philippi, Parisij, Puteoli; quibus non tam urbs, quam tota gens significatur.

III *Quae arborum nomina excipiuntur?*

Oleaster masculinum est, item rubus, & dumus; frutices uerius, quam arbores. Robur, siler, suber, neutra sunt.

II *Dic tertiam regulam?*

Fructuum, leguminum, frumentorum, & metallorum nomina sunt generis neutri.

1 Nomina fructuum : ut pyrum, malum, prunum, cerasum, fragum, papauer, piper, nardum, oleum. Quo etiam pertinent uinum, acetum, mulsum, & similes terrae, animaliumq; fructus.

2 Leguminum : ut cicer, pisum, milium.

Fru-

3 Frumentorum : ut ador, triticum, eruum, hordeum, far, fanum, cordum.

4 Metallorum: ut ferrum, plumbum, ſtannum, oricalchum, electrum, argentum, aurum, uitrum, nitrum, & ſimilia.

III *Quae excipiuntur?*

Foeminina ſunt, nux, glans, iuglans, galla, caſtanea, auellana, lens, oryza, auena, ſiligo, pix, reſina: quae plaeraque etiam ex terminatione cognoſcuntur.

2 Ficus, pro fructu, & morbo maſculinum eſt: pro arbore foemininum. Valla lib. 1. cap. 3.

3 Groſſi, plurale nomen, generis foeminini eſt, ſignificantq. ficum non matureſcentem. Macrob. lib. 3. Sat. cap. 20.

II *Dic quartam regulam?*

Subſtantiua, quae ſub una terminatione duo genera complectuntur; & tam maſculino, quam foeminino genere, ab auctoribus uſurpata inueniuntur, ſunt generis communis: ut hic, & haec coniux, coelebs, parens, ſacerdos, cuſtos, uates, antiſtes, interpres, hoſpes, ſoſpes, adoleſcens, iuuenis, cliens, ciuis, teſtis, bos, ſus, dama, ales, grus, lynx, palumbes, bubos, ſerpens, anguis. Sic dicimus, hic & haec dies; hic & haec finis, calx, margo, cortex, pumex, ſilex, barbitus, pampinus. Nam in his omnibus, & ſingulis, aliquando foemininum, aliquando maſculinum apponitur adiectiuum.

II *Dic quinctam regulam?*

Subſtantiua duarum terminationum, in prima

generis masculum sunt, in secunda generis feminini: ut hic magister, haec magistra; hic dominus, haec domina; hic seruus, haec serua.

III *Quae nomina substantiua sunt duarum terminationum?*

1 Primum ex nominibus propriis, nomina familiarum: ut Iulius, Iulia; Paullus, Paulla, & Polla; Tullius, Tullia; Terentius, Terentia; Lucretius, Lucretia; Cornelius, Cornelia. Fabius docet etiam Caias fuisse dictas, per praenomen: Ɔ inuerso.

2 Deinde ex communibus, Nomina officiorum, quae tam feminis, quam uiris, siue de natura, siue de consuetudine competunt: ut maritus, marita; auus, auia; nepos, neptis; filius, filia; socer, socrus; sobrinus, sobrina; socius, socia; rex, regina; dominus, domina; herus, hera; magister, magistra; seruus, serua; famulus, famula; minister, ministra; pedisequus, pedisequa; libertus, liberta; puer, puera; puellus, puella; adolescentulus, adolescentula; leno, lena; fidicen, fidicina; tibicen, tibicina; antistes, antistita; hospes, hospita; sospes, sospita.

3 Praeterea animalium nomina, siue terrestria sint, siue aquatilia, siue uolatilia: ut ex quadrupedibus, leo leaena; lupus, lupa; equus, equa; asinus, asina; asellus, asella; mulus, mula; ceruus, cerua; simius, simia; ursus, ursa; buculus, bucula; iuuencus, iuuenca; caper, capra; agnus, agna; uitulus, uitula; hinnus, hinna. Ex aquatilibus, & reptilibus paucissima reperies uariata: ut coluber, colubra; lacertus, lacerta. Plura ex uolatilibus: ut gallus gallina;

lina; columbus, columba; picus, pica; araneus, aranea. Nam reliqua omnia animantium nomina, uel ſolo maſculino, uel ſolo feminino genere, inuariata terminatione, reperiuntur apud probatos auctores.

4 Poſtremo plaeraq. uerbalia maſculina in or, formant de ſe feminina in trix: ut genitor, genitrix; uictor, uictrix; inuentor, inuentrix; rector, rectrix; moderator, moderatrix; imperatór, imperatrix; gubernator, gubernattix; amator, amatrix; domitor, domitrix; retentor, retentrix; auctor, auctrix; repertor, repertrix; expulſor, expultrix &c. Priſ. li. 5.

III *Quae animantium nomina ſolo maſculino genere uſurpata inueniuntur?*

Quorum terminatio maſculina eſt, hoc eſt, quae in Er, O, & Vs fere deſinunt: ut,

Ex quadrupedibus: Aper, alcis, camelus, cercopithecus, cuniculus, elephas, elephantus, erinaceus, glis, haedus, lepus, mus, ſciurus, ſorex.

Ex aquatilibus: carpio, ſalmo, cances, fiber, congrus cocodrilus, gobius, mullus, ſcombrus, ſcorpius, & ſcorpio, ſparus, ſilurus, ſeps.

Ex uolatilibus & inſectis: anſer, accipiter, paſſer, olor, turtur, uultur, pauo, pipio, ueſpertilo, capus, coruus, mergus, miluius, niſus, pauo, phaſianus, pſittacus, regulus, & regaliolus, ſturnus, trochilus, lumbricus, coſſus, fucus, grillus, ſtellio, crabro, papilio, curculio, cimex, culex, pulex, bombix, ſandix.

III *Quae animantium nomina ſolo feminino genere uſurpata reperiuntur?*

Qoorum terminatio feminina eſt: a, do, go, & ix

fere: ut ex quadrupedibus, histrix, martes, mustella, talpa, tigris, uulpes, canicula. Ex aquatilibus: balena, anguilla, murena, perca, salpa, rana, cuius deminutiuum masculino genere effertur, ranunculus.

Ex uolatilibus: alauda, aquila, cassita, ciconia, carduelis, anas, cornix, coturnix, ficedula, fulica, galerita, monedula, motacilla, merula, luscinia, noctua, upupa, alcedo, hirundo, perdix.

Ex insectis & uermibus: eruca, musca, uespa, hirudo, cochlea, blatta, cicada, formica, locusta, lens, tinea, teredo, testudo, uipera, rubeta.

Promiscuum genus nullum esse Grammatico, demōstrauit nunc olim, Hispanorum doctissimus, Lud. Viues.

IV *Quid hic notandum?*

Etsi in omni animantium genere sexum discreuit natura: sicut etiam in genere arborum, stirpiū, & plantarum: tamen idem discrimen non retinuit hominis oratio: quae saepenumero, uel propter inopiam uocabulorum, uel propter inscitiam, (neque enim sexus discrimen statim occurrit in omnibus) uel ex metu, & timiditate quadam, sexum animalis promiscue, & confuse effert. Haec caussa fuit, ob quam Grammatici genus promiscuum sunt commenti: quod tamen reuera non est genus, sicut ex iam dictis patet. Graecis dicere licet θυννος in masculino genere: & θυννὶς in foeminino. Cur non idē liceat Latino, ut dicat thunnus, thunna? Et si dicere licet picus, pica; araneus, aranea; coluber, colu-

bra:

bra: Cur nefas sit dicere: Aquilus, aquila: pauo, pa
ua: (quod & Ausonius dixit) lucius, lucia: ranunculus, ranuncula; ranus, rana. Vide Scaligerum cap. 79. de caussis linguae Latinae.

II *Dic sextam regulam?*

Numeralia nomina a quattuor ad centum, indeclinabilia sunt, & generis omnis: ut, quattuor, quinque, sex, septem, octo, nouem, decem, uiginti, triginta, quadraginta, quinquaginta, sexaginta, septuaginta, octoginta, nonaginta, centum.

II *Quid uero in illis fit, quae sunt infra quattuor?*

Numeralia, quae sunt infra quattuor, mutatis terminationibus, uariantur per genera & casus: ut,

1	S. N.	Vnus,	a,	um.
	G.	Vnius		
	D.	Vni		
	A.	Vnum,	unam,	unum.
	Ab.	Vno,	una,	uno. Plurali caret.
2	P. N.	Duo,	duae,	duo.
	G.	duorum,	duarum,	duorum.
	D.	duobus,	duabus,	duobus.
	A.	duos,	duas,	duo.
	Ab.	duobus,	duabus,	duobus.

Sic uariatur etiam ambo, ambae, ambo.

3	P. N.	Tres	tria
	G.	Trium	
	D.	Tribus	
	A.	Tres	
	Ab.	Tribus	

Quid

IV *Quid hic obseruandum?*

Vnus adiectiuum, quoties iungitur Nomini, quod sit plurale tantum, fit & ipsum plurale: ut, unas a te accepi litteras. Superioribus litteris, non unis, sed pluribus. Cicero ad Q. Frat. Vna moenia. Id. de leg. Sed fit hoc etiam in alijs: ut, unis auribus, & numquam mutatis legibus uiuere. Cic. pro Flacc. Satis una, superq. uidimus excidia. Virgil.

II ***Composita a centum, cuius sunt generis?***

Composita a centum uariantur per tria genera: ut,

Ducenti,	ae, a.	Trecenti	ae, a.
Quadringenti	ae, a.	Quingenti	ae, a.
Sexcenti,	ae, a.	Septingenti,	ae, a.
Octingenti,	ae, a.	Nongenti,	ae, a.

Mille cuius generis?

1 Mille substantiuum Generis neutri, est numero singulari indeclinabile: ut, Mille hominum occiditur: Gell. libro primo, cap. 16. Plurali uero declinatur more neutrorum tertiae declinationis. Millia, millium, millibus, millia, millibus.

2 Mille adiectiuum, indeclinabile est, plurale tantum, & generis omnis. Valla libro tertio, cap. quarto.

III *Quae praeterea Nomina pertinent ad numeralia?*

Nomina, quibus partes assis significantur.

Cuius

III *Cuius generis ſunt ea?*

Generis maſculini: ut, deunx, dextans, ſeu decunx, dodrans, bes, ſeptunx, ſemiſſis, quincunx, triens, quadrans, ſextans: praeterquam uncia: quod nomen ſua terminatione genus foemininum prodit.

II *Dic ſeptimam regulam.*

Adiectiua trium terminationum, in prima ſunt generis maſculini, in ſecunda generis foeminini, in tertia generis neutri: ut, hic albus, haec alba, hoc album: hic albiſſimus, haec albiſſima, hoc albiſſimum.

II *Quae huc pertinent?*

Pronomina & participia trium terminationũ; ut, ille, illa, illud: ipſe, ipſa, ipſum: amatus, amata, amatum: docturus, doctura, docturum: legendus, legenda, legendum.

II *Dic octauam regulam.*

Adiectiua duarum terminationum, in prima ſunt generis communis, in ſecunda generis neutri: ut hic, & haec fortis, & hoc forte: hic & haec Arpinas, & hoc Arpinate: hic, & haec doctior, & hoc doctius.

III *Quae huc pertinent?*

Pronomina duarum terminationum: ut, hic, & haec noſtras, & hoc noſtrate: hic & haec ueſtras, & hoc ueſtrate.

II *Dic nonam regulam?*

Adiectiua unius terminationis ſunt generis omnis: ut, hic & haec, & hoc felix, ſapiens, par impar.

Quae

II *Quae huc pertinent?*

Pronomina, & participia unius terminationis: ut, ego, tu, sui, amans, docens, legens, audiens.

II *Dic decimam regulam?*

Omnia nomina quarumcumque rerum, posita materialiter, sunt generis neutri: ut,

Illud uale, quam triste fuit.

Supremumq. uale, quod iam uix auribus ille Acciperet, dixit. Ouid. 10. Metamorph.

Caesar est dissyllabum. A in uoce Poema est breue.

Antecedens est falsum.

Iam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras. Pers.

Iam clarum mane fenestras Intrat. Idem.

De regulis specialibus.
Cap. IX.

III ***Quo modo cognoscuntur genera nominum ex terminatione?***

Cum ultima uocalis, aut consonans, aut etiam syllaba, in quam desinit dictio, ostendit genus. A enim plaerumque arguit foemininum: E, i, & u, neutrum: O, masculinum genus.

III ***Quot dantur de hac regulae?***

Vt uariae sunt, & multiplices terminationes nominum: ita quoque uariae assignantur cuique terminationi regulae: quae uulgo dicuntur regulae speciales. Nam alia nomina terminantur in uocales,

cales, a, e, i, o, u: alia in consonantes, c, l, m, n, r, s, t, x.

II *Nomina, quae desinunt in A, cuius generis sunt?*

Nomina in A desinentia, sunt generis foeminini: ut, Fabula, tabula, procella, uirga, uncia, polenta: quod postremum Ouidius, etiam neutro genere extulit.

III *Quae excipiuntur?*

Graeca in Ta primae declinationis, & gentilia sunt generis masculini: ut, hic poeta, hic cometa, hic planeta, hic Crotoniata, hic Sibarita, hic Adria pro mari Veneto.

2 Graeca in ma tertiae declinationis, neutra sunt: ut, hoc poema, hoc schema, hoc noema, hoc drama.

3 Masculina & haec sunt, uerna, incola, indigena, homicida, parricida.

II *Nomina in E, I, & V, cuius generis sunt?*

Nomina in E, I, & V, desinentia, sunt generis neutri; ut hoc cubile, mare, sedile: hoc gummi, sinapi: hoc cornu, ueru, genu.

III *Quae excipiuntur?*

1 Graeca in E foeminina sunt: ut, haec Euterpe, epitome, parasceue.

2 Composita ex duobus genitiuis, sunt generis omnis: ut, Huiusmodi, eiusmodi, cuiusmodi. Cicero etiam cuicuimodi dixit, pro S. Rosc. Ad Attic. lib. 3. & lib. 2. de legibus. Mancipi, & frugi datiuos esse a manceps, & frux, antiquis nominibus,

quidam

quidam non absque rationibus contendunt. Nam nihili, nauci, flocci, esse genitiuos, a nominibus nihilum, naucum, uel naucus, & floccus: nemo est, qui non nouerit.

II *Nomina, quae desinunt in O, cuius generis sunt?*

In O, desinentia masculina sunt: ut, hic homo, sermo, ardelio, erro, stellio, titio, calo, mucro, scipio, lurco, leno, epulo, ganeo, susurro: &c.

II *Quae excipiuntur?*

In Io uerbalia, foeminina sunt: ut, lectio, actio, factio. Et formam habentia uerbalium: ut concio, legio, religio, talio, rebellio, suspicio.

2 Quae do, aut go finiunt, foeminina sunt: ut, haec arundo, dulcedo, testudo, alcedo, cupido: haec imago, fuligo, aerugo, uertigo, uirgo.

III *Quae hinc excipiuntur?*

Masculina sunt, hic ordo, comedo, cardo, ligo, mango, Pondo neutrum est, & indeclinabile. Graeca in o longum exeuntia, sunt foeminina: ut, Echo, Pitho, Argo.

II *Nomina quae desinunt in C, L, & M, cuius generis sunt?*

Nomina, quae desinunt in C, L, & M, sunt generis neutri: ut, hoc lac, halec: hoc animal, uectigal, puteal, tribunal, minutal, ceruical, bidental, hoc mel, fel: hoc lorum, speculum, seculum, scamnum, dimidium, nihilum. Veteres hoc lacte dixerunt: ut Plautus in Menaechm. Nec aqua aquae, nec lacte lacti similius est.

Quae

III *Quae excipiuntur?*

In ol unum est, & masculinum Sol. Halecem in foeminino genere dixere Martialis, & Cato. Sal quoque in masculino maluere ueteres, quam neutro genere. Caetera ad regulas generales pertinent: ut, mugil, pugil, uigil, exul, consul, praesul. Tantundem, & totidem, composita sunt ex tantum, tot, & syllabica adiectione dem. Strigil Latinum non est: sed strigilis, genere foeminino usurpatum ab auctoribus.

II *Nomina Graeca, quae desinunt in N, cuius generis sunt?*

Graeca, quae in N desinunt, masculina sunt: ut hic Paean Titan: hic lichen: hic delphin: hic daemon, canon, Python.

III *Quae excipiuntur?*

Quae on apud Latinos in um mutant, neutra sunt: ut symbolum, idolum, plectrum, sindon, & icon foeminina sunt.

II *Nomina Latina, quae finiunt N, cuius generis sunt?*

Quae N finiunt Latina, sunt generis neutri: ut, flumen, lumen, examen.

III *Quae excipiuntur?*

Masculina sunt, lien, splen, ren, pecten: & quae a cano sunt cōposita: fidicen, lyricen, tubicen, tibicen.

II *Nomina in Ar, & Vr, cuius generis sunt?*

Nomina in Ar, & Vr exeuntia sunt generis neutri: ut, hoc laquear, calcar, far, baccar, instar: hoc ebur, sulfur, iecur.

III *Quae excipiuntur?*

Furfur maſculinum eſt: Caetera omnia ad regulas generales pertinent: ut lar, par cum compoſitis: turtur, uultur, nomina uolucrum: augur, fur: nomina uirilium officiorum: cicur adiectiuum omnis generis.

II *Nomina in Er, Ir, & Or, cuius generis ſunt?*

Nomina in Er, Ir, & Or, maſculina ſunt: ut, hic agger, carcer, ueſper: hic uir: hic amor, honor, furor.

III *Quae excipiuntur in Er?*

Nomina, quae uer aut ber finiunt, neutra ſunt: ut, uer, cadauer: ſuber, tuber, uber. Maſculinum eſt, imber. foemininum linter: Iter, & ſpinter, neutra ſunt. Reliqua pertinent ad regulas generales.

III *Quae excipiuntur in Or?*

Foeminina ſunt, arbor, ſoror, uxor: Neutra, cor, aequor, marmor, ador pro fructu.

II *Nomina in As, cuius generis ſunt?*

In As foeminina ſunt: ut, bonitas, pietas, caſtitas, maieſtas.

III *Quae excipiuntur?*

Maſculina ſunt, mas maris, uas uadis, as aſſis; Item adamas, elephas, gigas, tiaras. Neutra ſunt uas, uaſis. Fas & nefas indeclinabilia & neutra.

II *Nomina in Es, Latina, quotuplicia ſunt?*

Duplicia: Quaedam ſunt tertiae declinationis: quaedam quinctae.

Nomin.

II *Nomina in Es, tertiae declinationis, quotuplicia sunt?*

Duplicia. Vel crescunt genitiuis, uel nō crescunt.

II *Nomina in Es tertiae declinationis, quae Genitiuis crescunt, cuius generis sunt?*

Nomina in Es tertiae declinationis, quae Genitiuis crescunt, masculina sunt: ut, hic cespes, cespitis; gurges, gurgitis: fomes, fomitis: aries, arietis: paries, parietis: pes, pedis. Sic etiam trames, stipes, limes, poples, palmes, merges: & Graeca, Magues, tapes, lebes.

III *Quae excipiuntur?*

Foeminina sunt, seges, segetis: teges, tegetis: compes, compedis: & Latina, quae E in obliquis producunt: ut merces, mercedis: quies, quietis: praeter masculinum pres praedis: & neutrum aes aeris.

II *Nomina in Es, tertiae declinationis, quae Genitiuis non crescunt, cuius generis sunt?*

Nomina in Es, tertiae declinationis, quae non crescunt Genitiuis, foeminina sunt: ut, Indoles, uulpes, apes, nubes, compages, fames, lues, labes, tabes, caedes, clades, strages, strues.

III *Quae excipiuntur?*

Acinaces, masculinum est: Cacoethes & hippomanes neutra: uates, & torques communia.

II *Nomina in Es quinctae declinationis, cuius generis sunt?*

Nomina in Es, quinctae declinationis, sunt generis foeminini: ut, fides, res, spes, effigies, facies, species, requies, ꝓgenies. Excipe dies, quod cōmune est,

ſed plurali numero, tantum uſurpatur genere maſculino. Huius compoſitum Meridies, tantum eſt maſculinum,& ſingulare.

II *Nomina in Is, cuius generis ſunt?*

Nomina in Is tam Latina, quam Graeca, ſunt generis foeminini: ut haec cutis, amuſſis, ſtrigilis, arus, ouis, bilis, uis, ſecuris, promuſcis, pixis, paropſis, aſpis, iaſpis.

II *Quae excipiuntur primo ab hac regula?*

Nomina, in quibus terminationem Is, proxime praecedit littera N, aut duae conſonae, aut una duplex, ſunt maſculina: ut hic panis, funis, cinis, crinis: hic amnis, ignis, enſis, faſcis, fuſtis, poſtis, caſſis, ueſtis, collis, uermis, torris, axis.

III *Quae huc pertinent?*

Caulis, natalis, riualis, canalis, aqualis, molaris, unguis; quae & ipſa maſculina ſunt.

III *Quae hinc excipiuntur?*

Foeminina ſunt febris, pellis, peluis, peſtis, reſtis, ueſtis, uallis, turris, tuſſis, bipennis, meſſis, claſſis, cuſpis, ſementis, aſpis, pixis, puppis, paropſis, uolucris, amuſſis &c.

II *Quae excipiuntur ſecundo a regula?*

Nomina in Is Latina, quae Genitiuis creſcunt, maſculina ſunt: ut glis, gliris; cucumis, cucumeris; uomis, uomeris; ſanguis, ſanguinis; lapis, lapidis; puluis, pulueris.

III *Quae hinc excipiuntur?*

Excipiuntur foeminina, lis, litis; cuſpis, cuſpidis; caſſis, caſſidis.

Com-

Communia ſunt, teſtis, ciuis, canis, & alia: de quibus paullo ante.

IV *Quid praeterea hic notandum?*

Compoſita in Is, ſiue ex maſculinis, ſiue ex foemininis fuerint, communia ſunt: ut hic & haec exſanguis, & hoc exſangue; hic & haec tricuſpis, & hoc tricuſpe. Priſc. lib. 5. Sic hic & haec affinis, & hoc affine: ut quibuſdam placet.

II *Nomina in Os, cuius generis ſunt?*

Nomina in Os, maſculina ſunt: flos, lepos, honos.

II *Quae excipiuntur?*

Foeminina ſunt, dos, glos, cos, & antiquum arbos.

Neutra ſunt, os, oris; os, oſſis.

Communia ſunt bos, cuſtos, impos, compos, ſacerdos.

II *Nomina in Vs quotuplicia ſunt?*

Triplicia. Vel ſecundae, uel tertiae, uel quartae declinationis.

II *Nomina in Vs ſecundae, & quartae declinatiinis, cuius generis ſunt?*

In Vs ſecundae, & quartae declinationis ſunt generis maſculini: ut hic uentus, dominus, anus, annus, paetus, faſelus: hic fructus, fluctus, arcus, portus, rictus, ructus, tumultus.

III *Quae excipiuntur?*

1 Foeminina ſunt, haec uannus, humus, acus, aluus, anus pro uetula, manus, tribus, domus, carbaſus, porticus, papyrus, byſſus, cryſtallus.

2 Neutra ſunt, uulgus, pelagus, uirus.

3 Communia ſunt, barbitus, pampinus.

De Nomine Ficus, dictum est ante.

II *Nomina in Vs tertiae declinationis, quotuplicia sunt?*

Duplicia. Vel enim retinent u in obliquis, uel mutant.

II *Nomina in Vs tertiae declinationis, quae V in obliquis retinent, cuius generis sunt?*

Nomina in Vs tertiae declinationis, quae V in obliquis retinent, foeminina sunt: ut haec tellus, telluris; salus, salutis; palus, paludis; incus, incudis; pecus, pecudis; uirtus, uirtutis.

III *Quae excipiuntur?*

Monosyllaba generis neutri sunt: ut Ius, Crus, Rus, Pus, Thus, Plus. Praeter Mus, quod masculinum est: Sus, commune: Intercus, omnis generis.

II *Nomina in Vs tertiae declinationis, quae V in obliquis mutant, cuius generis sunt?*

In Vs tertiae declinationis, quae V in obliquis mutant, neutra sunt: ut foedus, foederis; uulnus, uulneris; pignus, pignoris; corpus, corporis; pecus, pecoris.

III *Quae excipiuntur?*

Lepus, leporis, masculinum est; uetus, ueteris, omnis generis; sicut de hoc alibi dictum est.

II *Nomina in Aus, cuius generis sunt?*

In Aus foeminina sunt: ut laus, fraus.

II *Nomina in S cum praecedente consona, cuius generis sunt?*

Quae finiunt S, cum praecedente consona, foeminina sunt: ut, haec ars, pars, frons, mors, puls,

scobs,

ſcobs, ſtips, ſtirps, hiems, cohors, bidens pro oue. Nam pro ſarculo maſculinum eſt.

III *Quae excipiuntur?*

1 Maſculina ſunt: hic mons, fons, pons, ſeps, infans, torrens.

2 Commune eſt ſcrobs.

3 Diſſyllaba in Bs, & Ps, maſculina ſunt: ut, hic chalybs, manceps, hydrops.

II *Nomia in T, cuius generis ſunt?*

In T neutra ſunt: ut, hoc caput, occiput, ſynciput. Tot, & quot, cum compoſitis, indeclinabilia ſunt, & generis omnis.

II *Nomina, quae deſinunt in X, cuius generis ſunt?*

Quae in X deſinunt, ſiue ſimplex, ſiue cum praecedente conſona, foeminina ſunt: ut, haec pax, fax, fornax; haec lex, fex, carex, uibex, fortex, ſupellex; haec nix, pix, cicatrix, coxendis, radix, filix, lodix: & uerbalia in Ix, ut uictrix, ultrix; haec nox, uox, celox; haec nux, crux, faux; haec arx, calx, falx, lanx, phalanx. Priſc. lib. 5.

III *Quae excipiuntur?*

1 Graeca in Ax, & Yx maſculina ſunt: ut, hic abax, thorax, limax, ſtyrax; hic bombyx, ſandyx, oryx, onyx pro gemma.

2 Maſculina item ſunt in Ex: hic rex, grex, apex, codex, podex, pollex, frutex, lanx, ueruex, cimex, pumex, culex, iudex, dux, uindex, index.

3 Item in Ix: ut hic calix, fornix, uarix.

4 Commnnia ſunt Exlex, & Coniux.

IV *Retinent ne omnia Nomina, in utroque numero, semper unum & idem genus?*

Non retinent. Nam quaedam in singulari masculina sunt, & fiunt in plurali neutra: ut sibilus, sibila; supparus, suppara; locus, loca; iocus, ioca; balteus, baltea; euentus, euenta; Tartarus, Tartara; Auernus, Auerna.

2 Quaedam contra in singulari sunt neutra: & fiunt in plurali masculina: ut caelum, caeli; porrum, porri; frenum, freni; rastrum, rastri; capistrum, capistri; hoc specus, hi specus.

3 Quaedam in singulari sunt foeminina, in plurali neutra; ut carbasus, carbasa; intybus, intyba; supellex, supellectilia: ab inusitato nominatiuo supellectile: Pergamus, Pergama.

4 Quaedam contra in singulari neutra sunt, in plurali foeminina: ut epulum, epulae; balneum, balneae, & balnea; delicium, deliciae.

5 Quaedam in utroque numero, eademq. declinatione, sunt diuersorum generum: ut hic tiaras, haec tiara; hic pileus, hoc pileum; hic punctus, hoc punctum; hic chirographus, hoc chirographum; hic tonitrus, hoc tonitru; hic crocus, hoc crocum; hic baculus, hoc baculum; haec nardus, hoc nardum; haec barbitus, hoc barbitum; haec baccaris, hoc baccar; haec pecus, hoc pecus. De his uide Non. Marcell. lib. de indiscretis generibus, & L. Vallam.

6 Quaedam in diuersis declinationibus mutant genus: ut haec menda, hoc mendum; haec tribula,

hoc

hoc tribulum; haec mulctra, hoc mulctrum. De quibus infra in cap. de Heteroclitis.

De ſpeciebus Nominum. Cap. X.

II *Quot ſunt ſpecies Nominum?*

Duae. Primitiua: ut homo. Deriuatiua: ut humanus, homuncius.

IV *Quid eſt ſpecies primitiua?*

Eſt affectus, uel nota nominis, indicans ipſum ab alia dictione non deriuariuari: ut albedo. Grammaticus hic terminationem magis, quam ſignificationem reſpicit. Nam, ſi ſignificationem reſpicias, albedo non ab albus, ſed albus ab albedine deducetur. Nam ſecundum albedinem, & propter albedinem res dicitur eſſe alba. Itaque Dialecticis albedo, nomen eſt ſubſtantiuum & uniuocum: albus uero, nomen adiectiuum & denominatiuum. Graece *παρώνυμον*.

III *Quotuplex eſt Nomen deriuatiuum?*

Quadruplex. Nominale, Verbale, Participiale, & Aduerbiale. Nam deriuatiua Nomina deriuantur uel ab aliis nominibus: ut a Roma, Romanus; ab Hectore, Hectoreus; a fratre, fraterculus; a rixa, rixoſus. uel a uerbis: ut a capio, capax; ab edo, & bibo, edax, & bibax. uel a participiis: ut doctus, eruditus, diligens; a participiis, eiuſdem terminationis, ſed non eiuſdem ſignificetionis. Vel ab aduer-

biis: ut craſtinus, a cras; heſternus, ab heri.

III *Quid eſt nomen nominale?*

Eſt, quod ab alio nomine denominatur, Graece παρώνυμον: ut Romanus a Roma; Priamides a Priamo; fraterculus a fratre; humanus ab homine; iuſtitia a iuſtus.

III *Quot ſunt ſpecies nominis nominalis?*

Sex. Poſſeſſiua, Comparatiua, Superlatiua, Denominatiua, Deminutiua, & Gentilis. II De tribus prioribus dictum eſt ſuo loco: de poſterioribus tribus, hoc agetur loco.

IV *Nomina denominatiua, quotuplicia ſunt?*

Duplicia. Subſtantiua, & Adiectiua. II Nomen aliud nobis defuit: quo in hoc affectu Nominum uteremur.

Quot ſunt terminationes ſubſtantiuorum?

Hae fere: Al, Ar, La, Le, Lum, O, Do, Go, Ia, Ium, Na, Tor, Tas, Tum.

Al:	ut	ceruical, a ceruix.
Ar:	ut	lupanar, a lupa.
La:	ut	clientela, a cliens; tutela, a tutor.
Le:	ut	ouile, ab ouis.
Lum:	ut	acetabulum, ab acetum.
O:	ut	popino, a popina; ſuſurro, a ſuſurrus.
Do:	ut	dulcedo, a dulcis.
Go:	ut	ferrugo, a ferrum.
Ia:	ut	audacia, ab audax; iuſtitia, a iuſtus; ſanctimonia, a ſanctus.
Ium:	ut	pomarium, a pomum; teſtimonium, a teſtis.

Na:

Na:	ut	doctus, doctrina; opifex, officina; coquus, coquina.
Tor:	ut	portitor, a porta.
Tas:	ut	pietas, a pius.
Tum:	ut	coryletum, a corylus: & quae patiuntur ſyncopen, ut ſalictum, carectum, pro ſalicetum, caricetum.

Quae ſunt terminationes adiectiuorum?

Hae fere. Eius, Ius, Anus, Inus, Enſis, Entus, Idus, Inus, Vus, Alis, Ilis, Aris, Orus, Oſus, Arius, Orius, Aceus, Icius, Cus, Mus, Nus, Tus, Ber, Ster, Stris, Stis, Stus.

EXEMPLA.

Eus:	ut	ferreus, aereus, aeneus, plumbeus, roſeus.
Ius:	ut	aetherius, caeſarius.
Anus:	ut	montanus, humanus.
Inus:	ut	cupreſſinus, cedrinus, libertinus, ueſpertinus.
Enſis:	ut	hortenſis, pratenſis.
Entus:	ut	uinolentus, temulentus.
Idus:	ut	herbidus.
Iuus:	ut	feſtiuus, furtiuus.
Vus:	ut	annuus, menſtruus.
Alis:	ut	furialis, letalis, mortalis.
Ilis:	ut	ſeruilis, iuuenilis, uirilis, ſenilis.
Aris:	ut	familiaris, conſularis.
Orus:	ut	decorus, honorus, odorus.
Oſus:	ut	copioſus, uinoſus, formidoloſus.
Arius:	ut	binarius, ternarius, beſtiarius, ſpeciarius.

Orius: ut censorius, uxorius, sororius.
Aceus: ut chartaceus, hordeaceus.
Icius: ut triticius, caementicius, latericius.
Cus: ut aquaticus, uenaticus, a uenatu, pudicus.
Mus: ut maritimus, finitimus, legitimus, bimus, matrimus, patrimus.
Nus: ut ficulnus, diurnus, terrenus.
Tus: ut tunicatus, pollitus, hirsutus, astutus.
Ber: ut saluber.
Ster, & Stris: ut pedester, pedestris; campester, & campestris; paluster, palustris; terrestris.
Stis: ut caelestis.
Stus: ut honestus, modestus.

Quid significant Nomina in Eus, Aceus, Itius, & Nus?

Significant substantiam, seu partes substantiae: nempe materiam, & formam: ut plumbeus, qui est ex plumbo; aureus, qui ex auro, tamquam ex materia. Panis hordeaceus, ex hordeo factus; massa triticia, ex tritico; turris lateritia, ex lateribus constructa. Truncus ficulnus, e ficu excisus, uel decisus. Sic aedilititius, tribunitius, patricius, ex dignitate, tamquam materia, tracta sunt nomina. Et pecunia multatia dicitur, quae est ex multatione, tamquam ex forma: qua exigatur pecunia. Quaedam in Itius etiam passionem significant: ut fictitius, qui sit fictus; dediticius, qui sit deditus;

deditus; adſcriptiticius, qui ſit adſcriptus. Sed haec ad uerbalia Nomina uidentur pertinere.

Quid ſignificant Nomina in Inus?

1 Quaedam ſignificant materiam: ut praſinus, cryſtallinus: paenultima breui.

2 Quaedam ſignificant formam: ut muſtelinus, anſerinus, caballinus: paenultima longa.

3 Quaedam ſignificant qualitatem: ut libertinus.

4 Quaedam ſignificant tempus: ut ueſpertinus.

Quid ſignificant nomina in Entus, Idus, Oſus, & Aticus?

Significant habitum: ut uinolentus, qui uini ſtudioſus eſt, & habitu bibendi praeditus. Locus herbidus, qui herbarum habitu eſt praeditus. Gell. lib. 4. cap. 9. Valla lib. 1. cap. 21. Locus montoſus, quaſi habitu montium praeditus: ſic ſaltuoſus, tortuoſus, piſcoſus. Homo curioſus, formidoloſus, uitioſus, doloſus: qui curis, formidine, uini ſtudio, & dolis plenus eſt. Canis uenaticus, uenandi habitu inſtructus.

IV *Quid ſignificant Nomina in Tus?*

Virtutum, & habitum corporis plaeraque: ut galeatus, pileatus, petaſatus, criſtatus, comatus, iubatus, calamiſtratus; ſcutatus, clypeatus; ſagatus, paludatus, tunicatus, manuleatus, chlamydatus, togatus, braccatus, praetextatus, trabeatus, ocreatus, crepidatus, haſtatus, perſonatus, laruatus, litteratus, cordatus. Sic pellitus, auritus, crinitus, ceritus. Itẽ

hirſutus,

hirsutus, cornutus, astutus. Sed haec, & alia usu melius, quam praeceptis addiscuntur.

IV *Quid significant nomina in Iuus, Alis, & Ilis?*

In Iuus significant actionem: ut, festiuus, qui festiue agit: furtiuus, qui furatur, uel furtim agit: tempestiuus, qui tempora temperat.

In Alis passionem significant: ut, furialis, furijs captus: letalis, mortalis, morti obnoxius, & habilis ad moriendum.

In Ilis, significant relationem: ut herilis, qui est heri: ciuilis, qui est ciuium: seruilis, qui est seruorum.

Quid significant nomina in mus?

Significant relationem: ut, Aeditimus, qui habet aedes: finitimus, qui habet suos fines: legitimus, qui habet leges suas. Patrimus, & matrimus, paenultima longa, qui habet suum patrem, suamue matrem. Gell. lib. 12. cap. 10. interpretatur aeditiuum, finitimum, maritimum: qui sit prope aedes, prope fines, prope mare.

Quid significant nomina in aris, arius, orus, & orius?

Significant & haec relationem, uel potius τὸ ἔχειν, habere: ut, consularis, qui consulatum habuit, uel gessit: bustuarius, qui busto praeest: armentarius, qui armento imperat: odorus, honorus, sororius, qui odorem, honorem, sororem habet: uxorius, qui ab uxore habetur. Censorius, praetorius, qui censuram, aut praeturam habuit,

habuit, uel geſſit.

2 Quaedam in arius etiam actionem, & paſſionem ſignificant; ut, carpentarius, qui carpenta facit: aurigarius, qui aurigam agit: tumultuarius, qui in tumultu conſcriptus eſt.

3 Quaedam in arius diſcretā ſignificant quantitatem: ut, binarius, ternarius, centenarius.

Quid ſignificant reliquae terminationes?

Locum fere ſignificant: ut montanus, qui habitat in monte; caſtrenſis, hortenſis, pratenſis; qui eſt in caſtro, horto, prato: Campeſter, paluſtris, caeleſtis, qui degit in campo, in paludibus, in caelis. Vel ſignificant tempus: ut, diurnus, annuus, monſtruus. Vel habitum; ut honeſtus, ſaluber.

III *Quid eſt nomen deminutiuum?*

Deminutiuum eſt, quod deminutionem primitiui ſui ſignificat: ut, paterculus, corculum.

III *Quotuplicia ſunt deminutiua?*

Duplicia: Subſtantiua, quae a ſubſtantiuis ueniũt: ut, culter, cultellus: puer, puerulus: Adiectiua, quae ab adiectiuis formantur: ut, miſer, miſellus: beatus, beatulus: melior, meliuſculus.

Quot ſunt terminationes ſubſtantiuorum ex deminutiuis?

Octo fere: ut,

1 Culus, cula, culum: ut, igniculus, ab ignis: canicula, a canis: recula, a res: corculum a cor.

2 Ellus, ella, ellum: ut, agellus, ab ager: pagella a pagina: flagellum a flagrum.

3 Illus, illa, illum: ut, lapillus, a lapis; an-

guilla,

guilla,ab anguis; sigillum,a signum; paxillus,maxilla; a palus,& mala.

4 Olus,ola, olum : ut urceolus ab urceus; unciola ab uncia; tuguriolum a tugurium.

5 Vlus,ula, ulum : ut regulus a rex; homulus, & homunculus ab homo; hastula ab hasta; ratiuncula à ratio; capitulum a caput.

6 Vleus: ut equuleus, ab equus.

7 Aster: ut parasitaster, a parasitus.

8 Cio: ut homuncio,ab homo: pusio, a puer. Vide Prisc.lib.3.

Quot sunt terminationes Adiectiuorum?

Quattuor fere.

1 Culus, cula, culum: ut pauculus, paucula, pauculum; pauperculus,paupercula,pauperculũ; dulciculus,meliusculus.

2 Ellus, ella, ellum: ut bellus, bella, bellum, a bonus; misellus, misella, misellum.

3 Illus, illa, illum: ut tantillus,tantilla, tantillum; pauxillus,pauxilla, pauxillum.

4 Vlus,ula,ulum: ut beatulus,a,um. Sic uetulus,horridulus,limatulus,politulus, argutulus, rabiosulus,hilarulus,apud Cic.

III *Quid est deriuatum gentile?*

Gentile,Graece πατρωνυμικὸν, est nomen,significans gentem, patriam,aut cognationem: ut Heraclides, Pelopides, Spartiata, Romanus, Priamides.

III *Quotuplicia sunt Gentilia?*

Duplicia. Substantiua,quae, a substantiuis formata,

mata, unius tantum sunt terminationis: ut Priamides, & Ilias; a Priamo, & Ilio.

Adiectiua, quae more adiectiuorum uariari possunt: ut Romanus, a, um: hic, & haec Arpinas, & hoc Arpinate; hic, & haec Parmensis, & hoc Parmense.

IV *Quotuplicia sunt substantiua Gentilia?*

Duplicia. Quaedam sunt masculina: ut hic Sibarita. Quaedam foeminina; ut haec Thestias, Nerine.

IV *Quot sunt terminationes masculinorum?*

Duae. Des: ut Prjamides, filius Priami. Ta: ut Spartiata, ciuis Spartae, seu uir Spartanus.

IV *Quot sunt terminationes foemininorum?*

Tres. As: ut Ilias, filia uel neptis, Ili: Nereis, filia Nerei: Sicelis, mulier e Sicilia: Nerine, filia Nerei.

IV *Quot sunt terminationes Adiectiuorum?*

Quinque fere.

1	Cus:	ut	Gallicus, Germanicus.
2	Nus:	ut	Romanus, Germanus, Gallicanus.
3	Vus:	ut	Argiuus, Achiuus. Graecis ἀχαῖος, ἀργεῖος.
4	Ensis;	ut	Catinensis, Parmensis, Sulmonensis.
5	As:	ut	Arpinas, Aquinas.

III *Quid est nomen uerbale?*

Verbale est, quod a uerbo descendit: ut a capio, capax; a bibo, bibulus; ab eo, itio.

Quo-

III *Quotuplicia ſunt uerbalia?*

Duplicia. Subſtantiuum: ut, querella: & adiectiua, ut querulus.

Quot ſunt terminationes uerbalium ſubſtantiuorum?

Variae ſunt: ut, ba, la, na, ra, nia, le, io, tio, bo, do, go, men, bulum, culum, brum, crum, ar, or, us, tum, tium, trum, trix, & quaedam alia.

Ba:	ut,	ſcriba, a ſcribo.
La:	ut,	querela, a queror: tutela, a tueor.
Na:	ut,	aduena, ab aduenio: lucerna, a luceo.
Ra:	ut,	natura, a naſcor.
Nia:	ut,	parſimonia, parco.
Le:	ut,	ſedile, cubile, a ſedeo, cubo.
Io:	ut,	regio, legio, a rego, lego.
Tio:	ut,	lectio, oratio, a lectu, & oratu, ſupinis. Vide Vall. lib. 1. ca. 2.
Do:	ut,	comedo, comedonis, a comedere: libido, a libet.
Go:	ut,	intertrigo, a ſupino intertritum.
Men:	ut,	flumen, numen, ſtamen: a fluo, nuo, ſtuo.
Bulum:	ut,	tintinnabulum, a tintinno.
Culum:	ut,	oraculum, ab oro.
Brum:	ut,	uentilabrum, uelabrum, uolutabrum.
Crum:	ut,	ſimulacrum, lauacrum, ambulacrum.
Ar:	ut,	torcular, a torqueo: calcar a calco.

Or,

Or, uel ſimplex: ut, amor, ab amo: dolor, a doleo. Vel cum praecedente conſona: ut uictor, a uinco: quaeſtor, a quaero: tonſor, a tondeo.

Vs: ut uiſus, a uideo: auditus, ab audio.

Tum: ut monumentum, fomentum, documentum, tegumentum: a moneo, foueo, doceo, tego: de quibus uide Vall. lib. 6. cap. 36. & Gell. lib. 6. cap. 12.

Tium: ut, ſolatium, a ſolor.

Trum: ut aratrum, rutrum: ab aro, ruo.

Trix: ut, Genitrix, a gigno; uictrix, a uinco.

Quae ſunt terminationes uerbalium Adiectiuorum?

Variae & hae ſunt: ſed ex omnibus praecipuae octo.

1 Bus, ba, bum: ut innubus, innuba, innubum.

2 Idus, a, um: ut, uiuidus, a, um: feruidus, a, um: timidus, a, um: a uiuo, ferueo, timeo.

3 Ilis, ile: uel cum conſona praeſentis, ut docilis, agilis, docile, agile: a doceo, ago. Vel cum conſona praeteriti paſſiui: ut flexilis, flexile, penſilis, e. Vel cum conſonante praeteriti imperfecti: ut amabilis, exorabilis, ſtabilis conducibilis: amabile, exorabile, &c.

4 Itius, itia, itium: ut, factitius, a, um: deditius, a, um: ſurreptitius, a um.

5 Iuus, a, um: ut, ſatiuus, a, um, a ſero: fugitiuus, a, um, a fugio.

6 Vlus, ula, ulum: ut, credulus, a, um: bibulus, a, um: a credo, bibo.

7 Vndus,unda,undum:ut moribundus,a,um: populabundus, a, um: fremebundus, a, um: iracundus,uerecundus:a morior,populor,fremo,irascor, uereor.

8 Ax:ut,loquax,dicax,mendax,edax,bibax, tenax: a loquor,dico,mentior, edo, bibo,teneo. Gellius eadẽ forma a Nomine linguam deduxit aliud Nomen linguax.

Quid significant haec adiectiua uerbalia?

Quae in idus, & inus exeunt, significant naturalem actum, uel potentiam: ut,uiuidus, qui uiuit, uel potest uiuere: feruidus,qui feruet: inuidus,qui inuidet: fugitiuus, qui fugitat: satiuus, qui potest seri.

2 Quae in Ilis, & Itius desinunt, significant passionem,& aptitudinem ad sustinendos motus: ut flexilis, qui potest flecti: docilis, qui potest doceri:amabilis,qui amari aptus est: utilis, quo possumus uti.

3 Quae in ulus,& ax desinunt, significant habitum: ut bibulus, qui frequenter bibit: credulus, qui libenter, & facile credit: tenax, qui libenter res suas tenet.

4 Quae in undus exeunt, actionem significant continuã: ut, moribundus,qui quasi quotidie moritur:populabundus,qui populari non desistit:iracundus, qui semper irascitur: uerecundus, qui ruborem numquam deponit.

III *Quid est nomen participale?*

Est, quod a participio, praesertim actiuo, praesentis

ſentis temporis: aut paſſiuo, praeteriti temporis deſcendit: ut, amans, amantior, amantiſſimus: doctus, doctior, doctiſſimus: De participijs degenerantibus in Nomina, dicetur in fine libri quarti.

III *Quid eſt Nomen aduerbiale?*

Eſt, quod deriuatur ab aduerbio: ut, craſtinus, a cras: heſternus, ab heri: diutinus, a diu: ſerotinus a ſero.

De Figuris Nominum.
Cap. XI.

II *Quot ſunt figurae Nominum?*

Duae. Simplex, ut amicus; Compoſita, ut Inimicus.

III *Quid eſt figura ſimplex?*

Cum dictio in partes ſignificatiuas diuidi non poteſt: ut, magnus, aptus, amicus.

III *Quid eſt figura compoſita?*

Cum dictio in partes ſignificatiuas diuidi poteſt: ut magnanimus, ineptus, inimicus.

Eſt autem duplex compoſitio: uera, in qua duae res componuntur, quae coniunctae unam ſignificant: ut, Magnanimus ex magno & animo. Non uera, in qua componitur res, & rei priuatio: ut, Indoctus. Sed haec uidentur pertinere ad Dialecticum.

IV *Cum quibus alijs dictionibus componuntur Nomina?*

1 Vel cum alijs Nominibus: ut, iusiurandum, paterfamilias.

2 Vel cum pronominibus: ut, huiusmodi.

3 Vel cum uerbis: ut, armiger, Lucifer.

4 Vel cum participiis: ut, plebiscitum, senatusconsultum.

5 Vel cum Aduerbiis: ut, maledicus, beneficus, satisfactio.

6 Vel cum praepositionibus: ut, impiger, perfidus.

7 Vel cum coniunctionibus: ut uterque.

8 Vel cum Interiectionibus, ut placet Scaligero: ut Vaeiouis.

9 Vel cum syllabica adiectione: ut, tantundem, totidem: a tantum, tot & dem, pro demum.

10 Compositorum quorundam simplicia non sunt in usu: ut, interpres.

IV *Quid est syllabica adiectio?*

Quae solum in compositione Emphasis caussa usurpatur: extra eam uero nihil significat: ut, dam, dem, piam, cumque, pte, ce.

III *Quot modis componuntur Nomina?*

Quattuor modis. Ex duobus integris: ut, respublica, suburbanus, indoctus.

Ex duobus corruptis: ut, efficax, municeps.

Ex integro, & corrupto: ut, inimicus, extorris.

Ex corrupto, & integro: ut, nugigerulus, efferus, impiger. Aliquando ex compluribus: ut, in-

expugna-

expugnabilis, imperterritus, ineluctabilis. Possunt enim duae praepositiones continuari: ut, incompositus, reconditus, subabsurdus. Sic apud Ciceronem, inexercitatus, inexhaustus, inexorabilis, inexplebilis. Apud Ouid. inobseruatus, inconsumptus, indeploratus, indefessus. Reperitur etiam apud Gell. lib. 14. cap. 1. Per inconsequens: nomen ex quattuor uocibus compositum. Nullam esse figuram decompositam, docet Scalig. cap. 88. lib. saepe citato.

IV *Quid praeterea obseruandum in compositione Nominum?*

Obseruandae sunt litterarum mutationes: ut, amicus inimicus: aptus ineptus: arma inermis: baculus, imbecillis: salsus, insulsus.

De prima declinatione.
Cap. XII.

IV *Quid est declinatio?*

Est quoddam caput, ad quod eiusdem flexionis nomina referuntur. Scalig.

IV *Quotuplex est declinatio?*

Duplex. Analoga, & Anomala. Gell. lib. 2. ca. 25.

IV *Quid est Analoga declinatio?*

Est similis similium declinatio, Regulá sequens.

IV *Quid est Anomala?*

Est inaequalitas declinationum, consuetudinem sequens.

II *Quot sunt declinationes Nominum?*

Quinque.

II *Quae est prima declinatio?*

Quae Genitiuum singularem format in ae, diphthongum: ut, uirga, uirgae: Musa, Musae: mensa, mensae.

II *Quot habet Terminationes?*

Quattuor: Vnam Latinam, A: ut fabula, tabula: Tres Graecas: As, ut Aeneas: Es, ut Anchises: E, ut Epitome.

II *Quo modo ceteri casus desinunt?*

Genitiuus, & datiuus singulares: Nominatiuus, & uocatiuus plurales, in ae diphthongum desinunt. Accusatiuus in am correptam. Vocatiuus est similis nominatiuo. Ablatiuus in A productam. Genitiuus pluralis in arum correptam. Datiuus, & ablatiuus in is productam. Accusatiuus in as productam desinit. In quibusdam tamen Latinis Nominibus, terminatur datiuus, & ablatiuus in bus, discriminis caussa: ut, filiabus, natabus, deabus, libertabus, equabus, mulabus. Vide Vall. lib. 1. cap. 1.

IV *Quo modo formant Graeca suos obliquos?*

Graeca in As, & Es, accusatiuum formant interdum in an, & en: ut, Aenean, Anchisen. Vocatiuum in a, S abiecto, ut o Aenea, o Anchise.

In E desinentia, retinent E in toto singulari numero, formantq. genitiuum in Es, accusatiuum in En more Graeco: ut, haec Epitome, huius Epitomes, huic Epitome, hanc Epitomen, o Epitome, hac Epitome. In plurali sequimur analogiam.

Declina

I *Declina Menſa.*

S. N.	Menſa	P. N.	Menſae
G.	Menſae	G.	Menſarum.
D.	Menſae	D.	Menſis
A.	Menſam	A.	Menſas
V.	Menſa	V.	Menſae
A.	Menſa.	A.	Menſis.

De ſecunda declinatione.
Cap. XIII.

II *Quae eſt ſecunda declinatio?*

Quae in I longum deſinit in genitiuo ſingulari: ut Dominus, Domini.

II *Quot ſunt terminationes ſecundae declinationis?*

Quattuor: tres Latinae: Er, ut magiſter: us, ut dominus: um, ut ſcamnum: & una Graeca, Eus, diphthongo conſtans: ut, Tydeus. Vir, & ſatur Apocopen paſſa ſunt, pro ſaturus, & uirus differentiae cauſſa.

III *Quo modo reliqui caſus deſinunt?*

Genitiuus ſingularis, Nominatiuus, & Vocatiuus plurales in i productam deſinunt: Datiuus, & ablatiuus ſingulares in o productam: Accuſatiuus in um correptam. Quando Nominatiuus deſinit in R, uel M, ſimilis erit ei uocatiuus. Quando in Vs: tunc Vs in uocatiuo mutatur in e: ut dominus, domine: Quando in Ius, ſi ſint propria nomina, abiecta

Vs, fit uocatiuus in I: ut Virgilius, Virgili: & unum commune, quod est filius, o fili. Genitiuus pluralis desinit in orum correptam: Datiuus & ablatiuus in is productam: praeter ambobus duobus: Accusatiuus in os productam, uel in a correptam. Nam neutra cuiuscumque declinationis, habent tres similes casus in utroque numero, Nominatiuum, Accusatiuum, & Vocatiuum: & in plurali semper a.

III *Quae nomina aliter formant suos obliquos?*

1 Vnus, solus, totus, unus, nullus, alius, uter, alter, neuter, formant Genitiuum singularem in ius, & datiuum in i: ut, unus, unius, uni: solus, solius, soli: uter, utrius, utri: neuter, neutrius, neutri. Latini tamen etiam in genitiuo Neutri & Neutrae dixerunt, teste Prisciano.

2 Graeca nomina in Vs & Eus, accusatiuum singularem formant in on & ea: ut Rhodon, Orphea. Eus etiam uocatiuum faciunt in Eu, Orpheus, Orpheu. Virgilius Graeco more dixit Orphei, pro Orpheo: Panthu, pro Panthoe.

III *Terminatio Er quotuplex est?*

Duplex. Parisyllabica: ut, faber, fabri: liber libri. Imparisyllabica, ut socer, soceri: lacer, laceri.

III *Quid est terminatio parisyllabica?*

In qua Genitiuus parem habet numerum syllabarum cum Nominatiuo: ut, aper, apri: minister, ministri: magister, magistri.

IV *Quando Er terminatio est parisyllabica?*

Quando terminationem Er praecedit muta: ut, faber,

faber, fabri : ager, agri : uafer, uafri : aper, apri.

IV *Quae excipiuntur?*

Liber, liberi, pro homine non seruo; socer, soceri; lacer, laceri; asper, asperi; prosper, prosperi; adulter, adulteri; presbyter, presbyteri. Item composita a fero, & gero : ut lucifer, luciferi; armiger, armigeri.

III *Quae terminatio est imparisyllabica?*

In qua genitiuus superat nominatiuum numero syllabarum : ut miser, miseri : tener, teneri.

I *Declina Magister.*

Singulari numero.

N. Magister.
G. Magistri.
D. Magistro.
A. Magistrum.
V. Magister.
A. Magistro.

Plurali numero.

N. Magistri.
G. Magistrorum.
D. Magistris.
A. Magistros.
V. Magistri.
A. Magistris.

I *Declina Dominus.*

Singulari numero.

N. Dominus.
G. Domini.
D. Domino.

A. Do-

A. Dominum.
V. Domine.
A. Domino.

Plurali numero

N. Domini.
G. Dominorum.
D. Dominis.
A. Dominos.
V. Domini.
A. Dominis.

I *Declina Scamnum.*

Singulari numero

N. Scamnum.
G. Scamni.
D. Scamno.
A. Scamnum.
V. Scamnum.
A. Scamno.

Plurali numero.

N. Scamna.
G. Scamnorum.
D. Scamnis.
A. Scamna.
V. Scamna.
A. Scamnis.

Sic declinatur nihilum, nihili, nihilo, nihilum, nihilum, nihilo: & nilum contractum: pro quibus hodie frequentius utimur nominibus nihil, & nil, passis apocopen. Nihili pendo, Terent. De nihilo, nihil in nihilum nil posse reuerti. Pers. sat. 3.

Declina

II *Declina nomen adiectiuum trium terminationum, in prima, & secunda declinatione simul.*

Singulari numero.

N.	Doctus,	docta,	doctum.
G.	Docti,	doctae,	docti.
D.	Docto,	doctae,	docto.
A.	Doctum,	doctam,	doctum.
V.	docte,	docta,	doctum.
A.	docto,	docta,	docto.

Plurali numero.

N.	Docti,	doctae,	docta.
G.	Doctorum,	doctarum,	doctorum.
D.	doctis,	per tria genera.	
A.	doctos,	doctas,	docta.
V.	docti,	doctae,	docta.
A.	doctis,	in omni genere.	

De tertia declinatiene.
Cap. XIV.

II *Quae est tertia declinatio?*

Cuius genitiuus singularis in Is correptam desinit: ut sacerdos, sacerdotis; felix, felicis; clades, cladis.

II *Quot habet terminationes?*

Decem. a, ut poema; e, ut cubile; o, ut uirgo; c, ut lac; l, ut mel; n, ut flumen; r, ut pater; s, ut ciuitas; t, ut caput; x, ut fornax.

Quid

IV *Quid hic notandum?*

Quaedam nomina diuerſas habent terminationes: ut apes, & apis; honos, & honor; arbos, & arbor; uomis, & uomer; pubis, & puber; compages, & compago.

II *Quo modo caeteri caſus deſinunt?*

Datiuus ſingularis in I productam. Accuſatiuus in Em, uel Im correptam. Ablatiuus in E correptam, uel in I productam. Vocatiuus eſt nominatiuo ſimilis.

Nominatiuus, Accuſatiuus, & Vocatiuus plurales in Es productam, uel in A correptam. Genitiuus in Vm, uel Ium correptam. Datiuus, & ablatiuus in Bus correptam.

III *Quae excipiuntur?*

Graeca ſuos obliquos, more Graeco formant. Nam genitiuum ſingularem faciunt uel in Os, ut Pan, Panos. uel in Vs: ut Sappho, Sapphus.

Accuſatiuum in a, o, & in: ut Hectora, Sappho, Thetin, Geneſin, Mephitin. Vocatiuum abiecta S nominatim: ut O Pari, o Palla. Accuſatiuum pluralem in As: ut heroas, Cyclopas. Nam tertia Latinorum declinatio, cognata eſt quinctae Graecorum: ſicut prima Latinorum ſecundae Graecorum: & ſecunda, tertiae.

III *Quae nomina habent in accuſatiuo Im?*

Turris, buris, ſitis, tuſſis, uis, peluis, Maguderis, Araris, & Tiberis duo fluuij.

Im, & Em habent promiſcue haec ſex: nauis, puppis, febris, reſtis, ſecuris, ſementis.

III *Quae nomina formant ablatiuum singularem in I tantum?*

1 In I tantum faciunt ablatiuos primo nomina in E, Al, & Ar desinentia; praeter sal, iubar, nectar, & hepar: ut mari, uectigali, calcari.

2 Adiectiua in Is, & Er, quorum neutra desinunt in E: ut forti, a fortis; acri, ab acer.

3 Quaecumque accusatiuum per Im tantum faciunt: ut tussi, a tussis; siti, a sitis.

III *Quae nomina formant ablatiuum in I, & E promiscue?*

1 Ablatiuum singularem in I, & E promiscue faciunt, primo, adiectiua omnis generis: ut hic, & haec, & hoc audax; audace, & audaci: sapiens, sapiente, & sapienti: par, pare, & pari: memor, memore, & memori.

2 Comparatiua in Or, & Vs bifariam faciunt ablatiuos: ut doctior, doctiore, & doctiori; melius, meliore, & meliori.

3 Verbalia in trix; ut uictrix, uictrice, & uictrici.

4 Plaeraque substantiua desinentia in ctis, mnis, gnis, guis, & uis: habent in ablatiuo singulari I, & E simul: ut uectis, uecte, & uecti; amnis, amne, & amni; ignis, igne, & igni; anguis, angue, & angui; ciuis, ciue, & ciui.

5 Postremo faciunt bifariam ablatiuos: quorum accusatiui fiunt per Im, & Em promiscue: ut, febris, febre, & febri; puppis, puppe, & puppi.

Quae

III *Quae neutra formant nominatiuum pluralem in Ia?*

In Ia exeunt omnia, quorum ablatiui desinunt in I tantum: uel in I, & E promiscue: ut uectigalia, calc-ria, mollia, acria, audacia, paria, uictricia.

III *Quae excipiuntur?*

Comparatiua, ut doctiora, maiora, meliora. Veteres tamen plura, & pluria dixere. Gell. lib. 5. cap. 21. Vetus uetera facit; aplustre, aplustra, & aplustria.

III *Quae nomina formant genitiuum pluralem in Ium?*

In Ium desinunt omnia, quorum ablatiui singulares finiunt I, siue solum, siue I, & E promiscue: ut uectigalium, mollium, acrium, audacinm, uictricium, amnium, ignium, ciuium, febrium, puppium, nauium.

III *Quae excipiuntur?*

1 Gomparatiua, ut maiorum, doctiorum, meliorum; praeter plus, quod plurium facit.

2 Item haec nomina: memor, memorum; uetus, ueterum; uigil, uigilum; locuples, locupletum, & locupletium; supplex, supplicum.

3 Composita a facio, & capio: ut opifex, opificum; artifex, artificum; municeps, municipum; princeps, principum; forceps, forcipum.

4 Participia geminos in hac declinatione formant genitiuos plurales: ut amantes, & amantium. Ter. Amantium irae amoris redintegratio est.

Ouid. Periuria ridet amantum Iuppiter.
Hor. Dos eſt magna parentium uirtus.

III *Quae praeterea faciunt in Ium genitiuos plurales?*

Ium genitiuos faciunt monoſyllaba, quae Nominatiuum finiunt duabus conſonantibus, aut una duplice: ut ars, artium; pars, partium; arx, arcium; mons, montium; dens, dentium; cohors, cohortium; falx, falcium; urbs, urbium; nix, niuium; nox, noctium. Praeter lex, rex, dux, & antiquum frux; quae legum, regum, ducum, & frugum faciunt.

2 Quorum Nominatiui, & genitiui ſingulares habent pares numero ſyllabas: eorum Genitiui fiunt per Ium: ut clades, cladium; caedes, caedium; nubes, nubium; uulpes, uulpium; torques, torquium; collis, collium; menſis, menſium; ignis, ignium; auris, aurium. Excipe uates, uatum; apes uel apis, apum, & apium, ſed apum frequentius; canis, canum; panis, panum; iuuenis, iuuenum; ſubſtantiuum uolucris, uolucrum.

3 Monoſyllaba natura longa, habent Ium: ut lis, litium; glis, glirium; mas, marium; uas, uadium; os, orium; os, oſſium; cor, cordium facit. bos, boum, pro bouium, per ſyncopen; caro, carnium. Sic & gentilia: Quiris, Quiritum; Arpinas, Arpinatium.

4 Ium finiunt, quae pluralis numeri tantum ſunt: ut antes, antium; annales, annalium; natales, natalium; manes, manium; ſales, ſalium; uepres, uepri-

uprium;

ueprium; aedes, aedium; alpes, alpium; fores, fo-rium; uires, uirium. Excipe carceres, carcerum; proceres, procerum; primores, primorum; luceres, lucerum; celeres, celerum; lemures, lemurum; opes, opum.

IV *An non est praeter Vm, & Ium alia quoque terminatio genitiui pluralis?*

Antiqua festorum nomina faciunt genitiuos plurales etiam per Orum: ut Saurnalia, Saturnalium, Saturnaliorum: Bacchanalia, Bacchanalium, & Bacchanaliorum. Vide Macrob. lib. 1. Sat. cap. 4.

IV *Datiuus, & ablatiuus nomen aliter finiunt quam bus?*

Neutra in A tertiae declinationis, etiam formant datiuum, & ablatiuum pluralem in Is: ut poemata, poematibus, & poematis. Plaut. in Asin. Scriptum est in poematis.

I *Declina Sacerdos.*

Singulari numero.

N. Sacerdos.
G. Sacerdotis.
D. Sacerdoti.
A. Sacerdotem.
V. Sacerdos.
A. Sacerdote.

Plurali numero.

N. Sacerdotes.
G. Sacerdotum.
D. Sacerdotibus.
A. Sacerdotes.

V. Sacerdotes
A. Sacerdotibus.
Declina Felix.
Singulari numero.
N. Felix
G. Felicis
D. Felici
A. Felicem,& Felix
V. Felix
A. Felice,& Felici.
Plurali numero.
N. Felices & Felicia
G. Felicium.
D. Felicibus
A. Felices & Felicia
V. Felices,& Felicia.
A. Felicibus.

De formatione Genitiui singularis, in tertia declinatione. Cap. XV.

IV *Nomina in A, quo modo formant suos genitiuos?*

In A, Graeca sunt, & faciunt genitiuum, assumpta syllaba tis: ut, poema, poematis.

III *Nomina in E, quo modo formant Genitiuum?*

Nomina in E, mutant in Genitiuo E, in is:

ut cubile, cubilis; ſedile, ſedilis; ouile, ouilis; mare, maris.

I *Declina cubile, & mare?*

S. N.	cubile,	mare.
G.	cubilis,	maris.
D.	cubili,	mari.
A.	cubile,	mare.
V.	cubile,	mare.
A.	cubili,	mari.
P. N.	cubilia,	maria.
G.	cubilium,	marium.
D.	cubilibus,	maribus.
A.	cubilia,	maria.
V.	cubilia,	maria.
A.	cubilibus,	maribus.

III *Nomina in O, & Io, quo modo formant genitiuos?*

Nomina in O, & Io faciunt genitiuos, aſſumpta ſyllaba nis: ut ſermo, ſermonis; legio, legionis. Excipe homo, hominis; nemo, neminis; turbo, turbinis; Apollo, Apollinis; caro, carnis.

I *Declina ſermo, & legio.*

S. N.	ſermo,	legio.
G.	ſermonis,	legionis.
D.	ſermoni,	legioni.
A.	ſermonem,	legionem.
V.	ſermo,	legio.
A.	ſermone,	legione.
P. N.	ſermones,	legiones.
G.	ſermonum,	legionum.

D. ſer-

D.	ſermonibus,	legionibus.
A.	ſermones,	legiones.
V.	ſermones,	legiones.
A.	ſermonibus,	legionibus.

III *Nomina in Do, & Go, quo modo faciunt genitiuum.*

Nomina in Do, & Go, faciunt genitiuum, O in I breuem mutato & aſſumpta ſyllaba Nis: ut hirundo, hirundinis; ferrugo, ferruginis: praeter mango, mangonis; ligo, ligonis. Pondo, indeclinabile eſt.

I *Declina Ordo, & Margo.*

S.	N.	ordo,	margo.
	G.	ordinis,	marginis
	D.	ordini,	margini
	A.	ordinem,	marginem.
	V.	oedo,	margo.
	A.	ordine,	margine.
P.	N.	ordines,	margines.
	G.	ordinum,	marginum.
	D.	ordinibus,	marginibus.
	A.	ordines,	margines.
	V.	ordines,	margines.
	A.	ordinibus,	marginibus.

III *Nomina in C, quo modo formant genitiuum?*

In C duo ſunt, lac, lactis; halec, halecis.

III *Nomina in L, quo modo formant genitiuum?*

Nomina in L adiiciunt Is ad nominatiuum:

ut, Animal, animalis: uigil, uigilis: sol, solis: consul, consulis: Mel, & fel geminant l: ut, mellis, fellis.

III *Nomina, quae desinunt in N, quo modo formant Genitiuum?*

Nomina in N, Latina, assumpta syllaba is, mutant e, in i, breue: ut, carmen, carminis: praeter ren renis: splen, splenis: lien, lienis: Graeca Graecorum morem imitantur: ut, Paean, Paeanos: Delphin, Delphinis: Lacon, Laconis: Xenophon, Xenophontis.

I *Declina Flumen, & Carmen.*

S.	N.	Flumen	Carmen.
	G.	Fluminis	Carminis
	D.	Flumini,	Carmini.
	A.	Flumen	Carmen
	V.	Flumen,	Carmen.
	A.	Flumine	Carmine.
P.	N.	Flumina,	Carmina
	G.	Fluminum	Carminum
	D.	Fluminibus,	Carminibus.
	A.	Flumina,	Carmina
	V.	Flumina	Carmina
	A.	Fluminibus,	Carminibus.

III *Nomina in R, quo modo faciunt Genitiuum?*

Quae R, finiunt, adijciunt nominatiuo is: ut, laquear, laquearis: calcar, calcaris: far, farris, rr, geminato: honor, honoris: ador, adoris: paenultima longa: praeter Caesar, Caesaris: arbor, arboris:

arboris: Sic agger, aggeris: carcer, carceris: augur auguris: paenultima breui. Graeca suum morem sequuntur.

IV *Quae excipiuntur?*

Nomina, quae ber, cer, ter, ster, finiunt, assumpta is abijciunt E: ut imber, imbris: acer, acris: pater, patris: campester, campestris: Praeter uber, puber, carcer, acer pro arbore, later, iter: quae in genitiuis habent, uberis, puberis, carceris, aceris, lateris, itineris, ab antiquo itiner.

2 Quaedam in Vr, assumpta is mutant u, in o: ut ebur, eboris: femur, femoris: robur, roboris: iecur, iecoris.

I *Declina puluinar, aequor, & fulgur.*

S. N.	puluinar	aequor	fulgur.
G.	puluinaris	aequoris	fulguris
D.	puluinari	aequori	fulguri
A.	puluinar	aequor	fulgur
V.	puluinar	aequor	fulgur
A.	puluinari	aequore.	fulgure.
P. N.	puluinaria	aequora	fulgura
G.	puluinarium	aequorum	fulgurum
D.	puluinaribus	aequoribus	fulguribus
A.	puluinaria	aequora	fulgura
V.	puluinaria	aequora	fulgura
A.	puluinaribus.	aequoribus.	fulguribus.

III *Nomina in as, quo modo formant Genitiuum?*

Nomina in as assumptae is, mutant s in t: ut, ciuitas, ciuitatis: honestas, honestatis.

IV *Quae excipiuntur?*

As, aſſis; uas, uadis; mas, maris; uas, uaſis.

III *Nomina in Es, quae genitiuis creſcunt, quo modo formant genitiuos?*

Nomina in Es, quae creſcunt genitiuis, aſſumpta Is, mutant S in T, & E uel retinent, uel mutant: ut ſeges, ſegetis; miles, militis; ſtipes, ſtipitis.

III *Quae retinent E?*

Seges, ſegetis; teges, tegetis; aries, arietis; paries, parietis; teres, teretis; interpres, interpretis; hebes, hebetis; praepes, praepetis; perpes, perpetis; indiges, indigetis, paenultima breui.

Quies, quietis; inquies, inquietis; locuples, locupletis. & Graeca: magnes, magnetis; tapes, tapetis; lebes, lebetis.

III *Quae excipiuntur a regula?*

S in D mutant: merces, mercedis; heres, heredis; praes, praedis, paenultima longa. pes, pedis; bipes, bipedis; compes, compedis. & a ſedeo compoſita: ut, deſes, deſidis; obſes, obſidis; praeſes, praeſidis; reſes, reſidis, paenultima breui. Aes, aeris facit; Ceres, Cereris.

III *Nomina in Es, quae non creſcunt, quo modo faciunt genitiuum?*

Nomina in Es, quae non creſcunt, faciunt genitiuum Es in Is conuerſa: ut clades, cladis; fames, famis.

I *Declina Seges, Diues, Clades.*

S. N.	ſeges,	diues,	clades.
G.	ſegetis,	diuitiis,	cladis.

D. ſe-

D.	ſegeti,	diuiti,	cladi.
A.	ſegetem,	diuitem,	cladem.
V.	ſeges,	diues,	clades.
A.	ſegete,	diuite,	clade.
P.N.	ſegetes,	diuites,	clades.
G.	ſegetum,	diuitum,	cladium.
D.	ſegetibus,	diuitibus,	cladibus.
A.	ſegetes,	diuites,	clades.
V.	ſegetes,	diuites,	clades.
A.	ſegetibus,	diuitibus,	cladibus.

III *Nomina in Is, quo modo formant genitiuos?*

Nomina in Is, quae non creſcunt genitiuis, eandem cum nominatiuo terminationem in genitiuo habent: cutis, huius cutis; panis, huius panis; ignis, huius ignis; axis, huius axis.

Quae uero creſcunt, aſſumpta Is, mutant S in D: ut caſſis, caſſidis, pro galea; cuſpis, cuſpidis; aſpis, aſpidis; pyxis, pyxidis; lapis, lapidis.

Lis, litis; glis, gliris facit. Gentilia ſunt, Quiris, Quiritis; Samnis, Samnitis.

Vomis, puluis, ſanguis, cucumis, mutuãtur ſuos obliquos ab antiquis: Vomer, puluer, ſanguen, cucumer.

III *Nomina in Os, quo modo formant genitiuum?*

Nomina in Os, aſſumpta ſyllaba Is, mutant S in R, paenultima longa: ut honos, honoris; praeter arbos, arboris.

III *Quae aliter mutant S?*

S in T mutant: cos, dos, glos, ſacerdos, nepos,

paenultima longa; compos, & impos: eadem breui. In d, custos, custodis; os, ossis; bos, bouis faciunt.

I *Declina honos, & ciuitas.*

S.	N.	honos	ciuitas
	G.	honoris	ciuitatis
	D.	honori	ciuitati
	A.	honorem	ciuitatem
	V.	honos	ciuitas
	A.	honore	ciuitate.
P.	N.	honores	ciuitates
	G.	honorum	ciuitatum
	D.	honoribus	ciuitatibus
	A.	honores	ciuitates
	V.	honores	ciuitates
	A.	honoribus.	ciuitatibus.

III *Nomina in us, quae u in obliquis retinent, quo modo formant Genitiuos?*

Quae u, in obliquis retinent, assumpta is mutant s.

1 Vel in d; ut palus paludis; incus incudis; paenultima longa; pecus, pecudis; paenultima breui.

2 Vel in R; ut tellus telluris; rus ruris; mus muris; pus puris; ius iuris; thus thuris.

3 Vel in T; ut salus salutis; uirtus uirtutis; iuuentus iuuentutis; senectus senectutis, senectutis.

III *Nomina in Us, quae V in obliquis mutant, quo modo formant Genitiuum?*

Quae u in obliquis mutant, assumpta is mutant s, in r; & u, uel in e; ut foedus, foederis; uetus ueteris;

ris;uulnus uulneris; uel in o; ut corpus corporis;decus decoris; pignus pignoris.

I *Declina uirtus, uetus, & corpus.*

S. N.	Virtus	uetus	corpus
G.	uirtutis	ueteris	corporis
D.	uirtuti	ueteri	corpori
A.	uirtutem	uetus & ueterum	corpus
V.	uirtus	uetus	corpus
A.	uirtute	uetere & ueteri.	corpore
P. N.	uirtutes	ueteres & uetera	corpora
G.	uirtutum	ueterum	corporum
D.	uirtutibus	ueteribus	corporibus
A.	uirtutes	ueteres	corpora
V.	uirtutes	ueteres, & uetera.	corpora
A.	uirtutibus.	ueteribus.	corporibus.

III *Nomina in s, praecedente consona, quo modo formant Genitiuo?*

Quae desinunt in bs, ms, & ps, Genitiuos faciunt interposita i, inter duas extremas consonantes; ut, trabs, trabis; hiems, hiemis; stirps, stirpis; inops, inopis.

Quae ante extremas consonantes uocalem e, habent; mutant e, in i; ut caelebs, caelibis; adeps, adipis; forceps, forcipis.

Composita a caput, Genitiuum per itis faciunt, s abiecto; ut praeceps praecipitis; anceps ancipitis; biceps bicipitis; triceps tricipitis.

2 Quae uero desinunt in ls, ns, & rs, assumpta is, mutant s, in t; ut, puls, pultis; dens, dentis; ars, artis.

Quae

IV *Quae excipiuntur?*

Composita a cor: ut concors, concordis. Item glans glandis: iuglans, iuglandis: lens lendis: frons frondis, differentiae caussa: libripens, libripendis.

Participium iens, ab eo: genitiuum facit euntis: sicut & composita: abiens abeuntis: rediens, redeuntis: praeter ambiens, ambientis.

I *Declina trabs, stirps, puls, ars.*

S.	N.	Trabs	stirps	puls	ars
	G.	trabis	stirpis	pultis	artis
	D.	trabi	stirpi	pulti	arti
	A.	trabem	stirpem	pultem	artem
	V.	trabs	stirps	puls	ars
	A.	trabe	stirpe.	pulte	arte
P.	N.	trabes	stirpes	pultes	artes
	G.	trabium	stirpium	pultium	artium
	D.	trabibus	stirpibus	pultibus	artibus
	A.	trabes	stirpes	pultes	artes
	V.	trabes	stirpes	pultes	artes
	A.	trabibus.	stirpibus.	pultibus.	artibus.

III *Nomina in T, quo modo formant Genitiuos?*

Nomina in T, assumpta syllaba Is, mutant u in i: ut caput capitis: occiput, occipitis.

III *Nomina in X, quo modo faciunt Genitiuos?*

Nomina, quae X finiunt, assumpta is, mutant x, in c: ut pax pacis: audax audacis: fex fecis: nex necis: pernix pernicis: lodix lodicis, paenultima longa: filix filicis: salix salicis: coturnix coturnicis: paenultima breui: uox uocis: uelox uelocis: nux

nucis;

nucis; faux faucis; dux ducis; falx falcis; merx mercis; lanx lancis.

IV *Quae excipiuntur?*

Rex regis; lex legis; remex remigis; ſupellex, ſupellectilis, ab antiquo nominatiuo ſupellectile; ſenex ſenis pro ſenecis; quo ueteres ſunt uſi; ſtrix ſtrigis; nix niuis; nox noctis; frux frugis; coniux coniugis. Item in Ex polyſyllaba mutant e, in i; ut pumex pumicis; codex codicis; opifex opificis; paenultima breui. Vibex uibicis facit, paenultima longa.

I *Declina nomen adiectiuum duarum terminationum?*

S.	N.	Fortis & forte	Doctor & doctius.
	G.	fortis	doctioris
	D.	forti	doctiori
	A.	fortem & forte	doctiorem & doctius.
	V.	fortis & forte	doctior & doctius
	A.	forti	doctiore & doctiori.
P.	N.	fortes & fortia	doctiores & doctiora
	G.	fortium	doctiorum.
	D.	fortibus	doctioribus
	A.	fortes & fortia	doctiores & doctiora.
	V.	fortes & fortia	doctiores & doctiora.
	A.	fortibus.	doctioribus.

I *Declina adiectiuum unius terminationis.*

S.	N.	Audax	Sapiens
	G.	Audacis	Sapientis
	D.	audaci	ſapienti
	A.	audacē & audax	ſapientem & ſapiens.

V. audax

	audax	sapiens
V.	audax.	sapiens.
A.	audace, uel audaci.	sapiente, uel sapienti.
P. N.	audaces, & audacia.	sapientes, & sapientia.
G.	audacium.	sapiētum, & sapientiū.
D.	audacibus.	sapiētibus.
A.	audaces, & audacia.	sapientes, & sapientia.
V.	audaces, & audacia.	sapientes, & sapientia.
A.	audacibus.	sapientibus.

III *Declina Bonus: nomen adiectiuum trium terminationum, absolutum cum suo cōparatiuo, & superlatiuo, per tria genera, & per tres declinat.*

Singulari numero.

N.	bonus,	melior,	optimus.
	bona,	melior,	optima.
	bonum,	melius,	optimum.
G.	boni,	melioris,	optimi.
	bonae,	melioris,	optimae
	boni,	melioris,	optimi.
D.	bono,	meliori,	optimo
	bonae,	meliori,	optimae.
	bono,	meliori,	optimo
A.	bouum,	meliorem,	optimum.
	bonam,	meliorem,	optimam.
	bonum,	melius,	optimum.
V.	bone,	melior,	optime
	bona,	melior,	optima
	bonum,	melius,	optimum.
A.	bono,	meliore, uel meliori,	optimo
	bona,	meliore, uel meliori,	optima
	bono,	meliore, uel meliori,	optimo

Plurali

Plurali numero.

N.	boni,	meliores,	optimi
	bonae,	meliores,	optimae.
	bona,	meliora,	optima.
G.	bonorum,	meliorum,	optimorum.
	bonarum,	meliorum,	optimarum.
	bonorum,	meliorum,	optimorum.
D.	bonis,	melioribus,	optimis per tria
A.	bonos	meliores,	optimos (genera.
	bonas,	meliores,	optimas,
	bona	meliora	optima.
V.	boni,	meliores,	optimi.
	bonae,	meliores,	optimae.
	bona,	meliora,	optima. (genera.
A.	bonis,	melioribus,	optimis. per tria

De quarta declinatione.
Cap. XVI.

II *Quae est quarta declinatio?*

Cuius Genitiuus singularis desinit in us, productam; ut, hic fructus, huius fructus.

III *Quo modo reliqui casus desinunt?*

Datiuus singularis in ui diuisas syllabas; Accusatiuus in um correptam; Ablatiuus in u, productam. Vocatiuus est nominatiuo similis. Nominatiuus, accusatiuus, & uocatiuus pluralis in us productam, uel in a correptam. Genitiuus in uum correptam; Datiuus, & ablatiuus in Bus, correptam.

Quae

III *Quae nomina habent in datiuo, & ablatiuo plurali, ubus:*

Arcus, acus, artus, ficus, lacus, quercus, ſpecus, tribus, & ueru.

I *Declina Fructus.*

S.	N.	Fructus
	G.	fructus
	D.	fructui
	A.	fructum
	V.	fructus
	A.	fructu
P.	N.	fructus
	G.	fructuum
	D.	fructibus
	A.	fructus
	V.	fructus
	A.	fructibus

Sic declinabis, caſus, uſus, fluctus, ſenatus, tumultus, porticus, apparatus, uenatus.

I *Declina Cornu, Genu, Veru.*

S.	N.	Cornu	Genu	Veru
	G.	Cornu	Genu	Veru
	D.	cornu	genu	ueru
	A.	cornu	genu	ueru
	V.	cornu	genu	ueru
	A.	cornu	genu	ueru
P.	N.	cornua	genua	uerua
	G.	cornuum	genuum	ueruum
	D.	cornibus	genibus	uerubus
	A.	cornua	genua	uerua

V.	cornua	genua	uerua
A.	cornibus.	genibus	uerubus.

De quincta declinatione.
Cap. XVII.

II *Quae est quincta declinatio?*

Cuius genitiuus singularis desinit in Ei, diuisas syllabas: ut fides fidei; species speciei.

III *Quo modo reliqui casus desinunt?*

Datiuus singularis in Ei, duas syllabas; Accusatiuus in Em correptam: Ablatiuus in E productam: Vocatiuus est nominatiuo similis. Nominatiuus, Accusatiuus, & Vocatiuus pluralis in Es productam: Genitiuus in Erum correptam: Datiuus & ablatiuus in Bus correptam. Veterum aetas Genitiuum singularem in Es, & E terminauit. de qua re consule A.Gell.lib.9.cap.14.

I *Declina species.*

S.	N.	Species
	G.	speciei
	D.	speciei
	A.	speciem
	V.	species
	A.	specie
P.	N.	species
	G.	specierum
	D.	speciebus
	A.	species

V. species

V. species
A. speciebus.
Sic declinabis, res, spes, requies, materies, progenies, facies, dies, meridies, &c.

III *Nomina composita, quo modo declinatur?*

Imitantur declinationes simplicium. Nam eodem modo in extremis tantum syllabis uariantur: ut Iniustus, iniusti: perfidus, perfidi: insipiens, insipientis: sicut iustus iusti: fidus fidi: sapiens, sapientis.

III *Quae excipiuntur?*

1 Composita ex duobus rectis, utrimque declinantur: ut iusiurandum, iusiurandi, iuriiurando: respublica, reipublicae, rempublicam: alteruter, alteriusutrius, & alterutrius. Vide Scalig. cap. 89.

2 Composita ex obliquo, & recto, uel ex recto, & obliquo, aut syllabica adiectione, aliaue dictione inflexili, tantum declinantur in recto: ut,

Iurisperitus, iurisperiti, iurisperito: plebiscitum, plebisciti, plebiscito: paterfamilias, patrisfamilias, patrifamilias, patremfamilias. Vterque, utriusque, utrique, utrumque. Tantundem, tantidem, tantodem.

3 Composita ex duobus obliquis, sunt inflexilia: ut, Huiusmodi, Eiusmodi.

De nominibus Heteroclitis.
Cap. XIIX.

III ***Vtrum unum quoduis nomen ad unam tantum declinationem referri poteſt?***

Non: Quaedam enim ſunt Heteroclita nomina, quae in diuerſis declinationibus poſſunt inflecti.

III ***Quotuplicia ſunt nomina Heteroclita?***

Duplicia. Quaedam in alterutro tantum numero fiunt Heteroclita: ut balneum, balneae: uas, uaſis: uaſa, uaſorum. Quaedam in utroque numero ſunt Heteroclita: ut, ſenecta, ſenectae: ſenectus, ſenectutis: menda, mendae: mendum, mendi.

III ***Quotuplicia ſunt, quae in altero tantum numero fiunt Heteroclita?***

Quincuplicia 1 Quaedam in ſingulari numero ſunt primae declinationis, in plurali fiunt ſecundae: ut, Dialectica, Dialecticae: Dialectica, Dialecticorum: Sic Grammatica, Rhetorica, & alia artium nomina inflecti ſolent.

2 Quaedam contra in ſingulari ſunt ſecundae declinationis: in plurali primae: ut, epulum, epulae: delicium, deliciae: balneum, balneae.

3 Quaedam in ſingulari ſunt ſecundae declinationis: in plurali fiunt tertiae: ut, iugerum, iugeri: iugera, iugerum, iugeribus.

4 Quaedam contra in ſingulari ſunt tertiae: in plurali ſecundae: ut, uas, uaſis: uaſa, uaſorum.

5 Quaedã in ſingulari sũt quartae declinationis:

in plurali ſecundae: ut euentus, huius euentus: actus, huius actus: haec euenta, euentorum: acta, actorum. Alij haec pluralia deducunt a neutris ſingularibus, euentum, actum.

III *Quotuplicia ſunt Heteroclita in utroque numero?*

Septemplicia 1 Quaedam declinantur in prima, & ſecunda: ut haec menda, hoc mendum: mulctra, mulctrum: colocaſia, colocaſium: ſyngraphus, ſyngrapha, & ſyngraphum.

2 Quaedam in prima, & tertia declinantur: ut Oreſte, Oreſtae, & Oreſtis: caſſida, & caſſis: iuuenta, & iuuentus: ſenecta, & ſenectus: cratera, & crater: ſtatera, & ſtater: panthera, & panther: cepa, & cepe.

3 Quaedam in prima, & quincta: ut, materia materiae: & materies, materiei.

4 Quaedam in ſecunda, & tertia inflectuntur: ut, polypus, polypi, & polypodis: abacus, abaci: & abax abacis: contagium, & contagio: ludius, & ludio: elephantus, & elephas: tapetium, & tapes: occipitium, & occiput. Huc pertinent & adiectiua diuerſarum terminationum, de quibus ſupra: ut, exanimus, exanimis: effrenus, & effrenis: imbecillus, & imbecillis: eneruus, & eneruis: enormus, & enormis: hilarus, & hilaris, &c.

5 Quaedam in ſecunda, & quarta declinantur: ut, domus, domi, & domus: laurus, lauri, & laurus: pinus, pini, pinus: colus, coli, colus: angiportum, angiporti; & angiportus, huius angiportus.

Quaedam

6 Quaedam tertiae, & quartae ſunt inflexionis: ut, requies, requietis, & requiei.

7 Quaedam ſunt plurium, quam duarum declinationum, ut penus, huius peni, penus, & penoris: ſpecus, huius ſpeci, ſpecus, & ſpecoris.

II *Declina domus.*

S. N. Domus
G. domi, & domus. Vall. lib. 3. cap. 15.
D. domui
A. domum
V. domus
A. domo, & domum.

P. N. domus
G. domorum, & domum.
D. domibus
A. domos, & domus
V. domus
A. domibus.

De pronomine, eiusq. diuiſione, & differentijs. Cap. XIX.

III *Quid eſt Pronomen?*

Pronomen eſt dictio uariabilis per caſum: qua utimur in demonſtranda, aut repetenda re: ubi Nominis repetitio erat ingrata futura: ut,

At pulcrum eſt digito monſtrari, & dicier, Hic eſt. Perſ.

Gratiaq. officio, quod mora tardat, abest. Ouid.

IV *Quo modo differt pronomen a Nomine?*

Differunt inter se non significatione, sed modo significandi. Nam utrumque significat rem permanentem, sed pronomen indicat praesentem; quod non facit Nomen. Qui enim dicit, Ego; is rem ipsam statuit praesentem intellectui, per speciem, non per nomen.

Deinde pronomen poni solet pro Nomine; unde & nomen traxit. Declarat enim hunc usum definitio ipsa pronominis.

Postremo non solum ponitur pro Nomine; sed interdum additur Nomini, propter maiorem uim significandi; ut, ego Cicero, tu Pompeii.

Interdum contra nomen ponitur loco pronominis, propter maiorem emphasin; ut apud Ciceronem, Vt intelligant omnia Ciceronis patere Trebatio, pro, mea omnia tibi patere.

II *Quot sunt pronomina?*

Nouendecim. Ego, tu, sui, ille, ipse, iste, is, quis, qui, meus, tuus, suus, noster, uester, nostras, uestras, cuius, cuias.

III *Quotuplex est pronomen?*

Duplex, Finitum, & infinitum.

III *Quid est pronomen finitum?*

Quod substantiam, seu rem finitam, ac certam demonstrat, aut refert; ut, ego, tu, ille, meus, tuus.

III *Quotuplicia sunt finita pronomina?*

Quincuplicia, seu quinque partita: Nam alia sunt

ſunt Demonſtratiua, alia Relatiua; alia Reciproca; alia Poſſeſſiua; alia Gentilia.

III *Quae ſunt demonſtratiua?*

Demonſtratiua ſunt, quae rem praeſentem indicant, tam loquenti, quam cui loquimur; ut, ego, tu, hic, iſte. Horum interrogatio eſt, quis.

III *Quae ſunt Relatiua?*

Relatiua ſunt, quae ad aliquid referuntur, quod in oratione praeceſſit; Vbi repetitio Nominis fuiſſet odioſa; ut, is, ipſe, qui, & cuius. Cic. Vt optima condicione ſit is, cuia res eſt, cuium periculum. Niſi referas hoc ad ſignificationem interrogatiuam, ſeu infinitam.

III *Ille quale Pronomen?*

Ille alias eſt Demonſtratiuum, alias Relatiuum.

Quo modo differunt inter ſe, hic eſt, & ille?

Hoc differunt, quod hic ad primam perſonam refertur; iſte ad ſecundam; ille ad tertiam. Nam de me, & meis loquens, dicere ſoleo; Hoc caput, haec manus, haec ciuitas. De te uero; Iſtud caput, iſta manus, iſta ciuitas. De alio; Illud caput, illa manus, illa ciuitas. Virg.

Per caput hoc iuro, per quod pater ante ſolebat.

Verba Aeneae de ſeipſo loquentis.

Ouidius ad amicam:

Iſte quod eſt, ego ſaepe fui.

Virg. Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.

Andromache de filio ſuo Aſtyanacte, iam olim occiſo. Valla lib. 2. cap. 4.

Alii ſic diſtinguunt; Hic (inquiunt) rem

demonstrat praesentem intellectui: iste, rem, praesentem sensui: ut, Hic motor, cuius uoluntate orbis rotatur. Ista tua cura, quae te attingit. Istud Musaeum, in quo scriptitas. Scalig.

III *Quae sunt Reciproca?*

Reciproca sunt, quae transitum a tertia persona in seipsa reflectunt: ut sui, & suus.

Quid hic sciendum?

Suus etsi possessionem quoque significat: ut mox dicetur: tamen non significat simplicem possessionem, aut simpliciter relatam ad possidentem: sed reciprocam, & reciproce relatam: ubi nimirũ res possessa intelligitur, esse in ipso possessore, non extra ipsum: ut, cum dico: sua quemque fraus uexat: fraus intelligitur esse in ipso possidente, tamquam accidens in subiecto. Quare, ubicumque res possessa non inest in ipso possessore, tamquam accidens in subiecto: ibi reciproco possessiuo non licebit uti. Vitiose enim, & perperam dixeris: suus seruus, suus pater, sua mater. Vt si dicas de Philotimo Ciceronis seruo: Suus seruus mihi has litteras reddidit: pro Ciceronis seruus. Neque enim seruus inest Ciceroni, ut accidens in subiecto. Nec recte de Cicerone dixeris: Sua bonitas conseruauit patriam. Nam bonitas non intelligitur inesse Ciceroni, tamquam res possessa in possidente: & relata ad possessorem: sed simpliciter intelligitur esse res absoluta, & qualitas in homine, hoc est, accidens in subiecto. At de Cicerone recte dices: Ciceronem sua uirtus nobilitauit. Nam uirtus intelligitur in ipso possidente Cicerone:

cerone: tamquam relata qualitas, uel accidens in ſubiecto. Reliqua pete ex L. Valla.

III *Quae ſunt poſſeßiua?*

Poſſeſſiua ſunt, quae rem poſſeſſam ſignificant: ut, Meus, tuus, ſuus, noſter, ueſter. Horum interrogatio eſt cuius, genitiuus a quis: & cuius, cuia, cuium.

III *Quae praeterea ſignificant poſſeſſionem?*

Genitiui pronominum, hic, ille, iſte, is, quis, qui; abſolute poſiti: ut, Cuius eſt haec ueſtis? Huius, iſtius, illius, eius, cuius, infinite poſitum, ſiue relatum. Terent. Mater habitabat Rhodi: eius bona ad me redierunt. Cic. Deus, cuius nutu caelum gubernatur.

III *Quae ſunt gentilia?*

Gentilia ſunt, quae non tantum patriam, nationem ue ſignificant, ſed etiam ſectam, & familiam: ut, noſtras, ueſtras. Horum interrogatio eſt, cuias. Cic. Capior facetijs, maxime noſtratibus. Valla lib. 2 cap. 3. Linac. lib. 1.

III *Quid eſt pronomen infinitum?*

Quod de re incerta, & indefinita dicitur: ut ſunt interrogatiua: quae etiam citra interrogationem infinite poſſunt poni.

III *Quae ſunt interrogatiua?*

Interrogatiua ſunt, quibus interrogamus, aut ſciſcitamur de re incerta: ut, quis, quae, quid: cuius, cuia, cuium: cuias, Horat.

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit:
Spes iubet eſſe ratas: in proelia trudit inermē. Virg.

Dic mihi Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?
Plaut. Cuia res est? aut quo ex oppido?

Ponuntur haec, ut dixi, etiam infinite, non interrogatiue: ut, Qui, quid sit pulcrum, quid turpe, quid utile, quid non, Plenius ac melius Chrysippo, & Crantore dicit. Cic. Vt optima condicione is sit, cuia res est, cuium periculum. Idem: Socrates, cum interrogaretur, cuiatem se esse diceret: mundanum, inquit.

De accidentibus Pronominum.
Cap. XX.

II *Pronomini quot accidunt?*

Septem. Numerus, Persona, Casus, Genus, Species, Figura, & Declinatio.

II *Numeri Pronominum quot sunt?*

Duo. Singularis, ut ego, tu, ille: Pluralis, ut, nos, uos, illi.

II *Personae Pronominum quot sunt?*

Tres. Prima, ut ego. Secunda: ut, tu: Tertia, ut sui.

Quo modo differunt personae pronominum a personis Nominum, & uerborum?

Nomina & uerba significant certas res: consignificant autem personas. At pronomina significant personas: & quidem quaslibet, quae nominari, esse, aut agere, pati ue possunt: sed unam tantum, certamq. consignificant. Vt ego pro qualibet persona, de seipsa loquente, potest poni. Nam ego de me

me poſſum dicere: Ego ſum homo. Hoc idem tu potes de te dicere. Hoc ipſum de ſe poteſt dicere Cicero: aut ille, aut iſte, aut alius quicumque. Quatenus uero pronomen eſt ego: & unam tantum, certamq. perſonam conſignificat, niſi primam. Significat igitur tu perſonam: & conſignificat ſecundã. Deinde modus ipſe perſonarum in pronominibus, differt a modo in nominibus. Nam perſonae in nominibus uariantur propter caſus, ſicut etiam in uerbis propter coniugationem. Itaque in quinque caſibus, omnes perſonae continentur. Poteſt enim nominatiuus Cicero eſſe omnium perſonarum: ut Cicero uigilo, Cicero uigilas, Cicero uigilat. In uocatiuo autem ſolummodo ſecunda. At in pronominibus non uariantur perſonae propter caſus, ſed una perſona continetur in omnibus caſibus: ut prima perſona, in omnibus caſibus, a nominatiuo, ego, uenientibus: & ſecunda in omnibus, a ſui productis. Reliqua pronomina, quatenus ſignificant, & non conſignificant perſonam: ſunt omnium perſonarum, praeter uocatiuos: ut

Ipſe ego cana legam tenera lanugine mala.
Ipſe uides. Ipſe ratem conto ſubigit. Virg.
Ille ego qui quondam &c. Tu ne ille Aeneas. idem.

II *Caſus pronominum quot ſunt?*

Sex, ut & nominum: Nominatiuus, Genitiuus, Datiuus, Accuſatiuus, Vocatiuus, & Ablatiuus.

III *Quot pronomina habent Vocatiuum?*

Haec quatuor: Tu, meus, noſter, & noſtras: ut

uulgo

uulgo Grammaticorum placet. At uero, in aliis quoque pronominibus reperiri uocatiuos, docent exempla: ut, O nox illa, quae tenebras attulisti. Cic.
Iam mihi libertas illa paterna uale. Tibull.
Idem, si fas est, mos precor ille redi. idem.
Ipse meas aether concipe summe preces. Ouid.
Exoriare aliquis, nostris ex ossibus ultor. Virg.
Romulus ut saxo lucum circumdedit alto:
Quilibet huc, dixit, confuge: tutus eris. Ouid.

II *Genera pronominum quot sunt?*

Quinque. 1 Masculinum: ut, hic ille, iste, ipse, is, quis, qui, meus, tuus, suus, noster, uester.

2 Foemininum: ut, haec illa, ista, ipsa, ea, quae, quae, mea, tua, sua, nostra, uestra.

3 Neutrum: ut, hoc illud, istud, ipsum, id, quid, quod, meum, tuum, suum, nostrum, uestrum.

4 Commune: ut hic, & haec nostras, uestras, cuias: & hoc nostrate, uestrate, cuiate.

5 Omne: ut ego, tu, sui.

II *Species pronominum quot sunt?*

Duae. Primitiua: ut ego, tu, sui, hic, ille, iste, ipse, is, quis, qui. Deriuatiua: ut meus, tuus, suus, cuius, noster, uester: nostras, uestras, & cuias.

II *Vnde deriuantur?*

Meus, noster, & nostras, ueniunt ab ego: tuus, uester, & uestras, a tu; suus, a sui; cuius, & cuias, a quis.

II *A quibus casibus?*

A genitiuis singularibus, mei, tui, sui, & cuius: & a genitiuis pluralibus, nostrum, & uestrum.

Figurae

II *Figurae pronominum quot ſunt?*

Duae. Simplex: ut ego, tu. Compoſita: ut egomet, tute.

III *Quibus cum dictionibus componuntur pronomina?*

1 Cum nominibus: ut eiuſmodi, aliquis.

2 Inter ſe: ut iſthic, quiſquis.

3 Cum uerbis: ut qui libet, qui uis.

4 Cum coniunctione: ut quiſque.

5 Cum interiectione: ut ellus, ella, ellum: pro, en illus, uel ille; eccus, ecca, pro ecce is.

6 Cum ſyllabica adiectione: ut egomet, tute; hicce, idem, quidam, quiſpiam, quicumque, ſuapte, meapte.

IV *Quid hic obſeruandum?*

Compoſitio in quibuſdam mutat ſignificationem ſimplicis: ut quiſque, quiuis, quilibet: idem ſignificant, quod omnis: nomen collectiuum, ſeu uniuerſale. Quidam, aliquis, quicumque ſignificant diſtributionem, & partitionem: eoq. dicuntur a Dialecticis ſigna particularia.

2 In quibuſdam etiam compoſitio mutat genus: ut, huiuſmodi, eiuſmodi, ſunt generis omnis.

II *Declinationes Pronominum quot ſunt, & quales?*

Eaedem, quae & nominum, nempe prima, ſecunda, & tertia.

II *Quae pronomina excipiuntur?*

Haec tria. Ego, tu, ſui: quae magna ex parte, Grae-

Graecorum more inflectuntur, & ab analogia reliquorum recedunt.

II *Quae pronomina sunt primae declinationis nominum?*

Omnia foeminina, quae in A desinunt: ut illa, ista, ipsa, ea; mea, tua, sua, cuia, nostra, uestra. Nam eodem modo inflectuntur, quo mensa inflecti solet.

II *Quae huc pertinent?*

Duo pronomina: haec, & quae, diphthongum in nominatiuo singulari habentia: quorum alterum etiam C, terminalem litteram, in Datiuo, Accusatiuo, & Ablatiuo singulari retinet: in plurali communem formam sequitur.

II *Quae pronomina sunt secundae declinationis nominum?*

Omnia masculina in E, Is, Vs, & Er desinentia: & omnia neutra in D, & Vm exeuntia.

Masculina: ut ille, ipse, iste, is, quis, meus, tuus, suus, cuius, noster, uester. Nam antiquis nominatiui fuere illus, ipsus, istus.

Neutra: ut illud, istud, ipsum, id, quid, quod, meum, tuum, suum, cuium, nostrum, uestrum.

II *Quae huc pertinent?*

Hic & qui, masculina: & hoc, neutrum. Nam qui in peculiarem uocalem: hic, & hoc in propriã consonam desinunt: quem etiam in datiuo, accusatiuo, & uocatiuo singulari retinent. in plurali masculinum hoc analogiam sequitur, Neutrum hoc, C terminalem litteram, in nominatiuo, & accusatiuo retinet.

II *In quibus casibus uariant pronomina, a nominibus primae, & secundae declinationis?*

Pronomina primitiua: Hic,ille,iste,ipse,is,quis, qui. Genitiuum singularem per ius, & Datiuum per I faciunt: hic,haec,hoc; huius.huic; ille,ilia,illud; illius,illi; iste,ista, istud; istius,isti; ipse, ipsa, ipsum; ipsius,ipsi; is,ea,id; eius,ei; quis,quae,quid; & qui,quae,quod; cuius,cui. Atque haec duo postrema, etiam datiuum, & ablatiuum pluralem faciunt bifariam,quis, & quibus. Meus item in uocatiuo,pro mee,mi habet,per synaeresim.

II *Quae pronomina sunt tertiae declinationis nominum?*

Haec tria: Nostras,uestras,cuias; nostrate, uestrate, cuiate. Nam aliter non declinatur nostras, quam ciuitas: Aut hic, & haec Arpinas, & hoc Arpinate.

I *Declina pronomina Ego,Tu,Sui.*

S.	N.	ego	tu	
	G.	mei	tui	sui
	D.	mihi	tibi	sibi
	A.	me	te	se
	V.		tu	
	A.	me	te	se.
P.	N.	nos	uos	
	G.	nostrum,uel nostri.	uestrum,uel uestri.	sui
	D.	nobis	uobis	sibi
	A.	nos	uos	se
	V.		uos	
	A.	nobis	uobis	se.

Dif-

Differentiam inter noſtrum,& noſtri ; ueſtrum, & ueſtri docebit uſus magis, quam Gellianus ille Apollinaris. Nam recte dices : Nemo noſtrum eſt immortalis,ideſt nemo ex nobis. Non recte: Nemo noſtri. Recte item : Noſtri noſmet paenitet. Non recte : Noſtrum noſmet paenitet. Recte etiam: Nil noſtri miſerere. At perperam : Nil noſtrum miſerere. Vide Gell.lib.20.cap.5.& Vall.lib.2.cap.1.

Quare pronomen Sui caret nominatiuo?

Quia,quoties hoc pronomen ponitur,ſemper oſtendit tertiam perſonam, uel in ſeipſam agere, & a ſeipſa pati: uel agere & ipſam,& aliam extrinſecus in eam. ut Poenitet illam ſui. Rogat,ut ad ſe uenias. Priſc.lib.8.cap.1.Linac.lib.1.

III *Quo modo declinantur pronomina compoſita?*

1 Compoſita ex duobus rectis,utrimque declinantur: ut quiſquis,cuiuſcuius,cuicui,quemquem, a quoquo ; quiqui,quorumquorum &c. Sic etiam inflectes quaequae, & quidquid.

2 Compoſita ex duobus obliquis, ſunt indeclinabilia : ut eiuſmodi,huiuſmodi.

3 Compoſita ex corrupto, & integro : uel ex integro,& ſyllabica adiectione, ſaltem declinantur in integro : ut iſthic,iſthuius, iſthuic, iſthunc &c. quidam, cuiuſdam, cuidam ; hiſce, huiuſce, huicce, huncce ; idem,eiuſdem,eidem,eundem.



NICODEMI . FRISCHLINI QVAESTIONVM GRAMMATICARVM

LIBER . QVARTVS

De Etymologia Verbi, & Participij.



De Verbo, eiusq. diuisione.

Cap. I.

III *Quid eſt uerbum?*

Verbum eſt dictio uariabilis per modos: ſignificans rem, quae fit, aut eſt ſub tempore: ut,

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.
Et neglecta ſolent incendia ſumere uires. Horat.

III *Quotuplex eſt uerbum?*

Duplex: Actiuum, & Paſſiuum. Nulla eſſe uerba imperſonalia, ſiue actiuae, ſiue paſſiuae ſignifica-

tionis,

tionis,demonstrat Scaliger cap.124.& 125.de caussis linguae Latinae.

III *Quid est uerbum actiuum?*

Actiuum est,quod in O desinit, & actionem, actionisq. modum significat: ut amo,scribo; amaui, scripsi.

III *Quotuplex est uerbum actiuum?*

Duplex: Absolutum, & Relatiuum, seu transitiuum.

III *Quid est absolutum uerbum?*

Cuius actio non transit in alium, sed remanet in eo,qui agit: ut sto,eo,curro,sedeo,uiuo. Grammatici uocant Neutra: eo quod neque Actiua, neque passiua simpliciter possint dici. Atque haec in tertiis personis fiunt etiam passiua: ut statur,curritur,sedetur.

Viuitur ex rapto,non hospes ab hospite tutus,
Viuitur ingenio,cetera mortis erunt.

Quod si res non desint, ne prima quidem, aut secunda persona defuerit. Fac enim terram loqui, & dicet: Aror, curror. Sic in eo compositis de se format passiuum: adeor,praetereor, transeor &c.

Quae huc pertinent?

Verba substantiua,quae rem sub tempore, & modo subsistere significant: ut sum,fui,ero,essem,fuissem; forem, & fue antiquum.

III *Quid est relatiuum,seu transitiuum uerbum?*

Transitiuum est,cuius actio transmigrat in aliã: ut Amo te, Scribo litteras.

IV *Quid hic sciendum?*

Sciendum, etiam uerba transitiua interdum absolute poni: ut, amo, lauo.

III *Quae uerba huc pertinent?*

Deponentia.

III *Quid est uerbum Deponens?*

Deponens est, quod etsi terminationem habet passiuam: tamen significationem passiuam deponit: & aut absolutam actionem significat: ut nascor, orior: aut transitiuam: ut osculor te: criminor te: sequor te: adipiscor gloriam: utor opera tua. Verba communia esse nulla, demonstratur paenultimo capite huius libri.

Quid est uerbum passiuum?

Est, quod in or desinit, & passionem sub tempore, & modo significat: ut, amor.

Quae uerba huc pertinent?

Neutro passiua.

III *Quid est uerbum Neutro passiuum?*

Est, quod terminationem quidem actiuam habet: sed passiue significat: ut, uapulo, ueneo, fio, liceo. Plaut. in Menaech. Quibus hic pretiis porci ueneunt, id est, uenduntur. Vapulo a te, id est, uerberor. Ego scio me cauisse, ne ulla merito contumelia Fieri a uobis posset. Terent. in Hec. Hodie utimur Fio pro Facior: ut, calefacio, in passiuo calefio.

III *Quae uerba cognata sunt Neutro passiuis?*

Quorum praesentia actiuam, praeterita passiuam terminationem habent, manente eodem signi-

ficatu: ut, caeno, caenatus ſum: prandeo, pranſus ſum: gaudeo, gauiſus ſum: audeo, auſus ſum: ſoleo, ſolitus ſum: maereo, maeſtus ſum: fido, fiſus ſum.

IV *Quae praeterea uerba huc pertinent?*

Verba quae in diuerſis terminationibus idem ſignificant: ut, aſſentio, aſſenſi: aſſentior, aſſenſus ſum: cachinno, & cachinnor: fruſtro, & fruſtror: impertio, impertiui, impertior, impertitus ſum: comperio, comperi: comperior abſque praeterito: mereo, merui: mereor, meritus ſum: medico, medicaui: medicor, medicatus ſum: modero, & moderor. Sic dicimus in eodem ſignificatu: iurgo, iurgor: munero, muneror: fabrico, fabricor: populo, populor: ſtabulo, ſtabulor: luxurio, luxurior: praeuerto, praeuertor: nutrico, & nutricor. Gellius auctor eſt, ueteres plaeraque deponētia, in uoce actiua extuliſſe.

De numeris, & perſonis uerborum. Cap. II.

II *Verbo quot accidunt?*

Septem. Numerus, Perſona, Tempus, Modus, ſpecies, Figura, & Coniugatio.

II *Numeri uerborum quot ſunt?*

Duo. Singularis: ut, amo: Pluralis, ut, amamus.

II *Perſonae uerborum quot ſunt?*

Tres. Prima: ut, amo: Secunda, ut, amas: Tertia, ut, amat.

De

De temporibus uerborum. Cap. III.

II *Tempora uerborum quot sunt?*

Tria. Praesens, Praeteritum, & Futurum.

III *Quid est praesens?*

Est, quo actio nunc geri significatur: ut, scribo, scribor. Actionis autem Nomine hic, & passio, & neutra, seu absoluta affectio intelligitur.

III *Quid est praeteritum?*

Est, quod praeteritam actionem, uel passionem significat: ut, scripsi, scriptus sum.

III *Quotuplex est praeteritum?*

Triplex. Praeteritum imperfectum, Praeteritum perfectum, Praeteritum plusquam perfectum. Caussam, ob quam praeteritum partiamur in has differentias, reddit Prisc. lib. 8. cap. 3.

III *Quid est praeteritum imperfectum?*

Est, quod actionem quidem captam, necdum tamen perfectam significat, ut scribebam. Virgil.

Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido
condebat. Erat enim adhuc in opere.

Scaliger dicit, hoc tempore continuationem operae significari: ut, legebam; cum uenisti. Nihil enim interualli inter lectionem, & aduentum fuit.

III *Quid est praeteritum perfectum?*

Est, quod actionem finitam, absolutamq. significat: ut, amaui, amatus sum, uel fui.

IV *Quotuplex est hoc praeteritum in uerbis passiuis, deponentibus, & communibus?*

Duplex. Finitum, quo significatur aliquid proxime praeteritum: ut, caesus est, θέθυπται: secutus sum, pransus sum. Infinitum, Graece ἀόριστον, quo ulterius significatur praeteritum: ut, caesus fuit ἐτύφθη, secutus fui, pransus fui.

III *Quid est praeteritum plusquam perfectum?*

Est, quod actionem, uel passionem, dudum praeteriisse significat: ut, amaueram, scripseram, amatus eram uel fueram. Vbi itidem est duplex significatio in passiuis, & deponentibus: quemadmodum praeteriti perfecti. Vtrumque enim tempus, in uoce passiua, & deponēte, circumloquimur participio praeteriti temporis, & uerbo substantiuo.

III *Quid est futurum?*

Est, quod actionem futuram, uel rem in futurum gerendam significat: ut, amabo, amabor: scribam, scribar. Antonius Nebrissensis Indicatiuo modo duo tribuit futura: alterum perfectum: ut, amauero: alterum imperfectum: ut, amabo. Hoc cur statuat, caussam affert ex secundo libro Varronis de analogia. Quaedam (inquit Varro) sunt tempora imperfecta: ut, disco, discebam. Quaedam uero perfecta, ut didici, didiceram, didicero. Huic auctoritati quantum sit tribuendum, eruditi uiderint. Cic. ad App. Cum tu in prouinciam ueneris, ego annuum munus confecero, id est, (ut exponit Nebrissensis) a me confectum erit. Atqui eadem ratione possum ego exponere; cum tu ueneris, id est, cum a

te

te uentum fuerit. Quare non eſt neceſſe, propter diuerſam ſignificationem uni modo tribuere duo futura. Aliud enim ſignificat Futurum indicatiui, & aliud Futurum ſubiunctiui. Vtrumque enim ſequitur naturam ſui primitiui, a quo formatur. Et quis tam ſtultus ſit, qui diſco habeat, pro tempore imperfecto; cum ſit praeſens? Sed de hoc, ut dixi, uiderint eruditi.

De modis uerborum.
Cap. IV.

IV *Quot ſunt Modi uerborum?*

Modi ſunt notae animi inclinati, ſignificantes actionem cum tempore. Graeci uocant ἐγκλίσεις, Cic. animi temperationes. Vt, ego amo, ama tu. Cum amaret, Si amaret, Vtinam amaret Thais Pamphilum.

II *Quot ſunt modi uerborum?*

Quattuor. Indicatiuus, Imperatiuus, Subiunctiuus, & Infinitiuus. Optandi modum apud Latinos eſſe nullum, demonſtrauit inuictis rationibus, doctiſſimus Ruſcellus. Nam quae uulgo attribuuntur optatiuo modo tempora; ea neque inflexione, neque ſignificatione quidquam differunt a temporibus ſubiunctiui modi. Sunt enim haec eiuſdem temporis; Cum ames; ſi ames; utinam ames. Nam qui ſe amare optat, is praeſentem amorem optat, quem abeſſe arbitratur.

III *Quid est Indicatiuus?*

Indicatiuus est nota animi, per quam res certa, & deliberata, ac iam definita indicatur: ut, amo, amabam, amaui, amaueram, amabo. Rectius diceretur positiuus θετικὸς: quemadmodum prima uox Indicatiui θέμα dicitur, eo quod statuat, & ponat rem, de qua agitur, certam. Quinct.lib.1.cap.6. nominat Fatendi modum.

III *Quot habet tempora Indicatiuus?*

Quinque. Praesens, ut, amo: Praeteritum imperfectum, ut amabam: Praeteritum perfectum, ut, amaui: Praeteritum plusquam perfectum, ut amaueram: Futurum, ut amabo.

III *Quid est Imperatiuus?*

Est nota animi, inclinati ad eliciendam actionem, uel passionem ab alio, tamquam inferiore: ut, ama, scribe, lege, dic.

III *Quot habet tempora apud Latinos?*

Duo. Praesens, ut ama: Futurum, ut amato. Nihil enim (ut ait Scaliger) praesentius est imperio. Et quia imperata nunc possunt fieri, & mox, & cras: ideo etiam futurum attribuitur Imperatiuo. Primam uero Personam ex utroque tempore sustulimus. Nemo enim sibi ipsi imperat: sed semper imperium ad alium refertur. Tertiam personam in praesenti, mutuamur a subiunctiuo, magis ueterum Grammaticorum morem, quam rationem sequentes.

IV *Quid hic obseruandum?*

Quattuor Imperatiui per Apocopen efferuntur:

dic,

dic, duc, fac, fer, ne uideantur esse Nomina.

III *Quid est subiunctiuus?*

Est nota animi, inclinati ad eas res, quae ante deliberationem fiunt, aut ab ea dependent; ut, Cum uenero, scribam. Si fortiter pugnaueris, uinces. Habet autem, & mistam quandam significationem, quasiq. compositam, ex indicatiuo, & imperatiuo. Ideoq. nonnulli potentialem nominant: ut, Sollicitudinem istam, quae te excruciat, omittas, pro omitte, uel debes omittere. Ter.
Mancipijs locuples eget aeris Cappadocum rex:
Ne fueris tu hic. pro ne esto. Horat.
Nec tibi, quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat: mentemq. doceret respectus honesti.
Claud. Tu uideris, pro uidere debebis, uel debes.
Pers. Helleborũ frustra, cũ iam sitis aegra tumebit,
Poscentes uideas: Venienti occurrite morbo.
Videas, pro poteris uidere. Vide Vall. lib. 3. capite 48.

IV *Vnde dicitur subiunctiuus?*

A subiungendo: quia praecedenti orationi subiungitur: ut, uinces, si pugnaueris.

III *Quot tempora habet Subiunctiuus?*

Totidem habet, quot indicatiuus: nempe praesens, ut amem: Praeteritum imperfectum, ut amarem; Praet. perf. ut amauerim: Praeteritum plusquã perfectum, ut, amauissem: Futurum, ut amauero.

III *Quid est Infinitiuus?*

Infinitiuus etiamsi per se neque modus est, neque animi inclinationem significat: tamen est nota

earum rerum, quae offeruntur nostrae uoluntati, & facultati; idq. uel simpliciter, uel sub tempore. Graeci ἀπαρέμφατον uocarunt, quasi minime declaratiuum. Res animo occurrentes sunt, uerbi gratia, cibus, potus, amica, doctrina, sonus, & similia. Ex quo dicimus, cupio, edere, potare, amare, docere, audire. Item audio te canere, Video te currere.

IV *Unde dicitur Infinitiuus?*

Infinitiuus dicitur, quia indefinitam habet significationem, nullis personis, nullisq. numeris declaratam. Neque enim suus est, sed aliorum omnium modorum assecla. Nam in hunc modum alii omnes resoluuntur, ut scribis, id est, aio te scribere. Salue, Iubeo te saluere. Si ualeres, utinam ualeres, id est, opto te ualere.

III *Quot habet Tempora?*

Tria. Praesens, ut amare; Praeteritum, ut amauisse; Futurum, ut amaturum esse. Hoc enim tempus circumloquimur per participium, & uerbum substantiuum. Gell. docet participium istud quoque usurpari indefinite; ut neque certae sit personae, neque certi numeri. Sicut enim dico Latine, Scio uos amare: Ita quoque dicendum, Scio uos esse amaturum. Sed fides esto penes auctorem. Amatum ire, non esse futurum infinitiui, iam olim luculenter admodum demonstrauit Valla ille Laurentius; quem consule lib. 1. cap. 28.

De

De ſpecie uerborum.
Cap. V.

II *Quot ſunt ſpecies uerborum?*
Duae. Primitiua: ut lego, caleo, uideo, edo, ſorbeo.
Deriuatiua. ut lectito, caleſco, uiſo, eſurio, ſorbiſco.

III *Quot ſunt ſpecies deriuatiuae?*
Sex. Meditatiua, ſeu continuatiua, Inchoatiua, Frequentatiua, Deſideratiua, Deminutiua, & Imitatiua.

III *Quae uerba ſunt meditatiua, ſeu continuatiua?*
Quae in Sco, uel Scor deſinunt, & continuationem, ſeu aſſiduum incrementum alicuius actionis ſignificant: ut caleſco, frigeſco, ardeſco, tumeſco, albeſco, crudeſco, comminiſcor, adipiſcor. Valla li.1. cap.24. Scalig. lib. 5. Interdum pro primitiuis accipiuntur: ut conticeſco, adhaereſco, deliteſco, concupiſco, labaſco, expaueſco, obdormiſco.

III *Qualia habent praeterita, & ſupina?*
Carent praeteritis, & ſupinis: ut gliſco, conquiniſco, ueſcor, reminiſcor, caleſco, frigeſco.

2 Quorum primitiua non exſtant, ea mutuantur ſibi praeterita, & ſupina a primitiuis: ut, Apiſcor, aptus ſum; adipiſcor, adeptus ſum: quaſi ſit ab apio.
Creſco: tamquam a creo, creui, cretum.
Crebeſco, crebui: tamquam a crebeo.
Comminiſcor, commentus ſum: tamquam a mino,

no, memini, quod ortum duxit a μνῶ Graeco.
Disco, didici: tamquam a dio.
Defetiscor, defessus sum : tamquam a defetio.
Expergiscor, experrectus sum : ab expergo.
Irascor, iratus sum : tamquam ab iro, iras, irare.
Nascor, natus sum : tamquam a nao, uel no, nas, naui, natum.
Nanciscor, nactus sit : tamquam sit a nancire.
Nosco, noui, notum : quasi sit a no, uel γνῶ, uerbo Graeco.
Obliuiscor, oblitus sum : tamquam ab obliuire.
Paciscor, pactus sum : tamquam a pacire.
Pasco, paui, pastum : tamquam a pao, pas.
Quiesco, quieui, quietum : tamquam a quieo.
Senesco, senui, absque supino : tamquam a seneo.
Suesco, sueui, suetum: tamquam a sueo.
Vlciscor, ultus sum : tamquam ab ulcire.

3 Quaedam formant sua praeterita, ad modum uerborum secundae, aut tertiae coniugationis : ut, Compesco, compescui, compescitum. Dispesco, dispescui, dispescitum. Posco, pòposci,

III *Vnde formantur?*

A secunda persona praesentis indicatiui modi, addendo co : ut ardeo, ardes, ardesco; crebeo, crebes, crebesco.

III *Cuius sunt coniugationis?*

Omnia continuatiua sunt tertiae coniugationis : ut albescere, adipisci.

III *Quae sunt uerba incohatiua?*

Incohatiua sunt, quae in So desinunt, & conatum

uel

uel ſtudium incohandi aliquam actionem ſignificant: ut capeſſo,eo ad capiendum; laceſſo,eo ad laciendum,ſeu lacerandum; arceſſo,eo ad arcendum. Vſurpantur tamen pro primitiuis: ut,Miſſi ſunt legati uiſendi cauſſa,ideſt uidendi. Vall.lib.1. Scaliger recenſet inter deſideratiua, dicitq. ſignificare affectum animi intentioris. Nam uiſere eſt cum cura uidere.

III *Qualia habent praeterita,& ſupina?*

Ea formant more uerborum quartae coniugationis: ut capeſſo,capeſſi,uel capeſſiui,capeſſitum; faceſſo,faceſſi,uel faceſſiui,faceſſitum; laceſſo,laceſſi, & laceſſiui,laceſſitum.

III *Vnde formantur?*

A uerbis ſecundae perſonae praeſentis indicatiui: ut capio,capis,capeſſo; facio, facis, faceſſo. uel a poſteriori ſupino: ut uiſum, uiſu,uiſo.

III *Cuius ſunt coniugationis?*

Omnia incohatiua ſunt tertiae coniugationis: ut capeſſere,uiſere.

III *Quae uerba ſunt frequentatiua?*

Quae in Co,To,aut Xo deſinunt,& frequentem ac crebram actionem ſignificant:ut uellico,frequenter uello; uiſito,frequenter uiſo; nexo,frequenter, ſeu crebro necto.

III *Vnde formantur?*

A poſteriori ſupino, V in O mutando: ut dictu, dicto; uerſu, uerſo; nexu, nexo; arctu, arcto, ab arceo. Quidam arto, & coarto ſine C ſcribunt. In prima coniugatione, ſupini characteriſtica, A in

in I mutatur: ut caenatum, caenatu, caenito. uel formatur a secunda praesentis indicatiui: ut fugio, fugis, fugito; uello, uellis, uellico; fodio, fodis, fodico. Vide Gell. lib. 9. cap. 6.

III *Cuius sunt coniugationis?*

Omnia frequentatiua sunt primae coniugationis: ut uellicare, uisitare, nexare: quod tamen etiam in tertia coniugatione usurpatur.

III *Quae uerba sunt desideratiua?*

Desideratiua sunt, quae in Rio desinunt, & desiderium, seu cupiditatem significant: ut esurio, lecturio, nupturio, Sullaturio. idest cupio edere, legere, nubere, imitari Sullam.

III *Vnde formantur?*

A posteriori supino: addendo Rio: ut esu, esurio; caenatu, caenaturio; nuptu, nupturio.

III *Cuius sunt coniugationis?*

Omnia desideratiua sunt quartae coniugationis: ut esurire, nupturire.

III *Quae uerba sunt deminutiua?*

Quae in Lo exeunt, & deminutionem sui primitiui significant: ut cantillo, parum canto; sorbillo, parum sorbeo; sugillo, a sugo; uacillo, a uaco.

III *Cuius sunt coniugationis?*

Omnia deminutiua sunt primae coniugationis: ut cantillare, sorbillare, uacillare.

III *Quae uerba sunt imitatiua?*

Quae in Isso, & Or desinunt, & imitationem significant: ut patrisso, imitor patrem; Atticisco, imitor Atticos; cyatisso, pitisso, imitor bibentes, philo-

sophor,

ſophor, Poetor, Bacchor, Graecor, cornicor, uulpinor; imitor philoſophos, Poetas, Bacchum, Graecos, cornices, uulpes.

III *Vnde formantur?*

Vel a nominibus: ut philoſophor, poetor, cornicor; a philoſophus, poeta, cornix. Vel a Graecis uerbis: ut, comiſſo a κωμάζω; patriſſo, a πατρώζω.

III *Cuius ſunt coniugationis?*

Omnia imitatiua ſunt primae coniugationis: ut patriſſare, comiſſare, philoſophari, poetari, cornicari.

De figuris uerborum. Cap. VI.

II *Quot ſunt figurae uerborum?*

Duae. Simplex, ut lego. Compoſita, ut relego.

IV *Cum quibus dictionibus componuntur uerba?*

1 Cum nomine: ut, aedifico ab aedes, & facio; poſſideo, a potis, ſedeo; quaſi potens ſedeo: oſtendo, ab os, & tendo.

2 Cum aliis uerbis; ut calefacio.

3 Cum aduerbio: ut maledico.

4 Cum praepoſitionibus: ut antepono.

III *Quae ſunt obſeruanda in compoſitione uerborum?*

1 Vocales, & diphthongi uerborum ſimplicium

in compoſitione mutantur: ut, halo, anhelo; rapio, eripio; ſalto, inſulto; teneo, retineo; quaero, acquiro; plaudo, explodo; claudo, recludo.

2 Facio, cum uerbis, & aduerbiis retinet A: ut calefacio, benefacio. cum nominibus, & praepoſitionibus, mutat A in I: ut gratificari, proficere, inficere.

3 Compoſitorum quorundam ſimplicia non exſtant: ut fendo, offendo; pedio, impedio; perior, experior; leo, doleo; ſpecio, aſpicio.

4 Compoſitio mutat interdum & coniugationem, & genus, ſeu modum ſignificandi: ut ſpernere, aſpernari; pario, parere; reperio, reperire.

5 Compoſita a Do, & Cubo, quoties M aſſumunt, ſunt tertiae coniugationis: ut abdere, reddere; accumbere, diſcumbere. Excipe circundo, peſſundo, uenundo, ſatiſdo.

6 Simplicibus geminantibus primam in praeterito ſyllabam, compoſita non geminant: ut caedo, caecidi; occido, occidi. Excipe compoſita a do, ſto, diſco, poſco, pungo: ut aſto, aſtiti; dediſco, dedidici; repoſco, repopoſci; repungo, repupugi.

III *Quot modis componuntur uerba?*

Quattuor modis. uel ex duobus integris: ut abnuo, admitto, demiror. uel ex duobus corruptis: ut afficio, aedifico. uel ex integro, & corrupto: ut deficio, eligo. uel ex corrupto, & integro: ut alligo, collaudo, arrodo.

De prima Coniugatione. Cap. VII.

II *Quot sunt coniugationes uerborum?*
Quattuor.
II *Quae est prima coniugatio?*
Quae habet A longum ante Re, uel Ri in infinitiuo modo: ut amare, amari.
II *Quo modo uerba huius coniugationis formant sua praeterita?*
Actiua regulariter, & secundum analogiam, formant sua praeterita in aui: ut amo, amaui. Passiua uero sua praeterita formant in atus, uel atum: ut amor, amatus sum, uel amatum est. Caeno, caenaui, & caenatus sum, duplici praeterito.
III *Quid hic obseruandum?*
Passiuorum formam sequuntur deponentia, & communia: ut conor, conatus sum: aduersor, aduersatus sum. Sic formant sua praeterita, adulor, aemulor, ancillor, auxilior, frustror, gratificor, digladior, dominor, cachinnor, famulor, grassor; hortor, hariolor, faeneror, imitor, iocor, insidior, laetor, minor, miseror, medicor, moderor, negocior, ominor, peculor, populor, praedor, praeuaricor, recordor, solor, stipulor, testor, testificor, uaticinor.
III *Quae excipiuntur ab hac analogia?*
1 Quaedam formant sua praeterita more secundae coniugationis: ut

Cubo, cubui, cubitum.
Crepo, crepui, crepitum.
Domo, domui, domitum.
Frico, fricui, frictum.
Mico, micui, absque supino.
Neco, necui, nectum: & necaui, necatum.
Plico, plicui, plicitum: & plicaui, plicatum.
Seco, secui, sectum.
Sono, sonui, sonitum.
Tono, tonui, tonitum.
Veto, uetui, uetitum.

Sic & composita: ut
Accubo, accubui, accubitum.
Increpo, increpui increpitum &c.

Dimico tamen etiam dimicaui facit.

2 Quaedam formant sibi praeterita ex tertia coniugatione: ut, Iuuo, iuui, iutum.

Lauo, laui, lautum, lotum, & lauatum. Nam antiqui Lauere dixerunt.

3 Quaedam ritu Graecorum praeponunt actiuis praeteritis augmentum: ut, Do, dedi: sto, steti.

I *Coniuga amo, uerbum actiuum.*

INDICATIVO MODO tempore praesenti
Singulariter. Amo, amas, amat.
Pluraliter, amamus, amatis, amant.

Praeterito imperfecto.
S. Amabam, amabas, amabat,
P. amabamus, amabatis, amabans.

Praeterito perfecto.
S. Amaui, amauisti, amauit.

Amaui-

P. amauimus, amauiſtis, amauerunt, uel amauere.

Praeterito pluſquamperfecto.

S.	Amaueram,	amaueras,	amauerat.
P.	amaueramus,	amaueratis,	amauerant.

Futuro.

S.	Amabo,	amabis,	amabit.
P.	amabimus,	amabitis,	amabunt.

IMPERATIVO. MODO

Tempore praeſenti.

S.	Ama,	amet.
P.	amate,	ament.

Futuro.

S.	Amato tu,	amato ille.
P.	amato te,	amanto.

SVBIVNCTIVO. MODO

Tempore praeſenti.

S.	Amem,	ames,	amet.
P.	amemus,	ametis,	ament.

Praeterito imperfecto.

S.	Amarem,	amares,	amaret.
P.	amaremus,	amaretis,	amarent.

Praeterito perfecto.

S.	Amauerim,	amaueris,	amauerit.
P.	amauerimus,	amaueritis,	amauerint

Praeterito pluſquam perfecto.

S.	Amauiſſem,	amauiſſes,	amauiſſet.
P.	amauiſſemus,	amauiſſetis,	amauiſſent.

Futuro.

S.	Amauero,	amaueris,	amauerit.
P.	amauerimus,	amaueritis,	amauerint.

INFINITIVO. MODO

Tempore praesenti.

Amare.

Praeterito.

Amauisse.

Futuro.

Amaturum esse.

I *Coniuga amor, uerbum passiuum.*

INDICATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S. Amor, amaris, uel amare, amatur.

P. amamur, amamini, amantur.

Praeterito imperfecto.

S. Amabar, amabaris, uel amabare, amabatur.

P. amabamur, amabamini, amabantur.

Praeterito perfecto.

S. Amatus sum, uel fui; amatus es, uel fuisti; amatus est, uel fuit.

P. amati sumus, uel fuimus; amati estis, uel fuistis; amati sunt, fuerunt, uel fuere.

Praeterito plusquamperfecto.

S. Amatus eram, uel fueram; amatus eras, uel fueras; amatus erat, uel fuerat.

P. Amati eramus, uel fueramus; amati eratis, uel fueratis; amati erant, uel fuerant.

Futuro.

S. Amabor, amaberis, uel amabere, amabitur.

P. amabimur, amabimini, amabuntur.

IM-

IMPERATIVO . MODO

Tempore praeſenti.

S. Amare, ametur.

P. amemini, amentur.

Futuro.

S. Amator tu, amator ille.

P. amaminor, amantor.

SVBIVNCTIVO . MODO

Tempore praeſenti.

S. Amer, ameris, uel amere, ametur.

P. amemur, amemini, amentur.

Praeterito imperfecto.

S. Amarer, amareris, uel amarere, amaretur.

P. amaremur, amaremini, amarentur.

Praeterito perfecto.

S. Amatus ſum, uel fuerim; amatus ſis, uel fueris; amatus ſit, uel fuerit.

P. Amati ſimus, uel fuerimus; amatis ſitis, uel fueritis; amati ſint, uel fuerint.

Praeterito pluſquamperfecto.

S. Amatus eſſem, uel fuiſſem; amatus eſſes, uel fuiſſes; amatus eſſet, uel fuiſſet.

P. Amati eſſemus, uel fuiſſemus; amati eſſetis, uel fuiſſetis; amati eſſent, uel fuiſſent.

Futuro.

S. Amatus ero, uel fuero; amatus eris, uel fueris; amatus erit, uel fuerit.

P. Amati erimus, uel fuerimus; amati eritis, uel fueritis; amati erunt, uel fuerint.

INFINITIVO MODO

Tempore praesenti.

Amari.

Praeterito.

Amatum esse, uel fuisse.

Futuro.

Amatum iri, uel amandum esse.

De secunda coniugatione.
Cap. IIX.

II *Quae est secunda coniugatio?*

Quae habet E longum ante Re, uel Ri, in infinitiuo: ut docere, doceri, uereri.

II *Quo modo uerba huius coniugationis formant sua praeterita actiua, & passiua?*

Praeterita actiua formant in Vi, diuisas syllabas; & supina in Itum, paenultima breui: ut
hrbeo, habui, habitum.
mereo, merui, meritum.
moneo, monui, monitum.
placeo, placui, placitum.

Sic & deponentia.
uereor, ueritus sum.
misereor, miseritus, & misertus sum.
mereor, meritus sum.
polliceor, pollicitus sum.
reor, ratus sum facit.
medeor, sine praeterito.

Quae

III *Quae aliter formant ſupina?*

1 Sincopen patiuntur in ſupinis.

arceo,arcui,arctum.

careo,carui,caritum,& caſſum.

cenſeo,cenſui,cenſum,pro cenſitum.

doceo,docui,doctum.

miſceo,miſcui,miſtum.

pateo,patui,paſſum. murata T praeſentis in ſſ duplex.

teneo,tenui,tentum.

torreo, torrui, toſtum: ne uideatur tortum a torqueo.

2 Neutra,ſiue abſoluta plaeraque ſupinis carēt: ut rubeo,rubui; caleo,calui; horreo,horrui; liqueo, licui; deliqueo, delicui.

3 Quaedam abſoluta habent praeterita, more paſſiuorum: ut Audeo, auſum; Gaudeo, gauiſus ſum; Prandeo, pranſus ſum; Soleo, ſolitus ſum; Maereo,maeſtus ſum.

III *Quae contra analogiam formant tam praeterita, quam ſupina?*

Plaeraque uerba huius coniugationis Mutam, quae praecedit terminationem Eo,mutant in praeterito,& ſupino: ut

ardeo,arſi,arſum.

algeo,alſi, ſiue ſupino.

fulgeo,fulſi,fulſum.

haereo,haeſi,haeſum.

indulgeo,indulſi,indultum.

mulceo,mulſi,mulſum.

mulgeo, mulsi, mulctum, differentiae caussa.
rideo, risi, risum.
suadeo, suasi, suasum.
tergeo, tersi, tersum.
torqueo, torsi, tortum.
turgeo, tursi, sine supino.
urgeo, ursi ursum.
Sic etiam:
audeo, ausus sum.
gaudeo, gauisus sum.
prandeo, pransus sum.
fateor, fassus sum.
III *Quae uerba hinc excipiuntur?*
1 Verba in Beo: ut iubeo, iussi, iussum; duplici S: sorbeo, sorbui, & sorpsi, sorptum.
2 Verba quaedam in Deo, consonantem D in praeterito retinent: in supino mutant in S: ut,
uideo, uisi, uisum.
sedeo, sedi, sessum.
strideo, stridi, absque supino.
prandeo, prandi.
Item haec quattuor, quae primam syllabam in praeterito geminant: ut
pendeo, pependi, absque supino.
spondeo, spopondi, sponsum.
tondeo, totondi, tonsum.
mordeo, momordi, morsum. Gell. docet lib. 7. cap. 9. ueteres dixisse memordi, peposci, spepondi, pepugi, cecurri, tetondi.
3 Quaedam in uerba Geo, & Ceo, mutant G in
X in

X in praeterito: in C in supino: ut
augeo, auxi, auctum.
auqueo, uerbum antiquum, auxi, auctum.
frigeo, frigui, & frixi, frictum.
luceo, luxi, sine supino.
lugeo, luxi, luctum.

4 Verba, in quibus terminationem Eo, praecedit uocalis aut liquida, mutant O, in praeterito simpliciter, in Vi syllabam unam: ut
uieo, uieui, uietum; ancipiti paenultima.
cieo, ciui, citum, a cio mutuatur.
fleo, fleui, fletum.
deleo, deleui, deletum.
impleo, impleui, impletum.
oleo, oleui, oletum; & olui, olitum.

Sic & composita.
aboleo, aboleui, aboletum; & abolui, abolitum.
adoleo, adoleui, adultum per sincopen.
exoleo, exoleui, exoletum.
inoleo, inoleui, inolitum.
oboleo, oboleui, & obolui, obolitum.
obsoleo, obsoleui, obsolitum: interposito S inter bo & oleo, Euphoniae caussa.
redoleo, redoleui, & redolui, sine supino.
uboleo, subolei, absque supino.
neo, neui, netum.

Excipe maneo, mansi, mansum, cum compositis, in quibus A non mutatur.
emaneo, emansi; permaneo, permausi. At ubi A mutatur, aliud est praeteritum: ut emineo, eminui;

nui; immineo, imminui.

5 In quibus terminationem Eo praecedit V consonans, ea simpliciter mutant O in I, in praeterito: ut,
caueo, caui, cautum, & catum.
faueo, faui, fautum.
paueo, paui, sine supino.
conniueo, conniui, & connixi usitatius.
ferueo, ferui, & ferbui.
langueo, langui, tribus syllabis.
foueo, foueo, fotum.
moueo, moui, motum.
uoueo, uoui, uotum.

6 Quaedã uerba secundae coniugationis habent gemina praeterita: ut conniueo, conniui, & connixi.
frigeo, frigui, & frixi.
ferueo, ferbui, nisi sit a ferbeo; & ferui.
oleo, oleui, & olui; oletum, & olitum.
sorbeo, sorbui, & sorpsi.
prandeo, prandi, & pransus sum.
misereor, miseritus, & misertus sum.
tueor, tuitus, & tutus sum.

I *Coniuga Doceo, uerbum actiuum.*

INDICATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S.	Doceo,	doces,	docet.
P.	docemus,	docetis,	docent.

Praeterito imperfecto.

S.	Docebam,	docebas,	docebat.
P.	docebamus,	docebatis,	docebant.

Praeterito

Praeterito perfecto

S.	docui,	docuiſti,	docuit
P.	docuimus,	docuiſtis,	docuerunt, uel docuere.

Praeterito pluſquam perfecto

S.	docueram,	docueras,	docuerat.
P.	docueramus,	docueratis,	docuerant.

Futuro

S.	docebo,	docebis,	docebit.
P.	docebimus,	docebitis,	docebunt.

IMPERATIVO MODO

Tempore praeſenti.

S.	doce,	doceat,
P.	docete,	doceant.

Futuro

S.	doceto tu,	doceto ille.
P.	docetote,	docento,

SVBIVNCTIVO MODO

Tempore praeſenti.

S.	doceam,	doceas,	doceat,
P.	doceamus,	doceatis,	doceant.

Praeterito imperfecto

S.	docerem,	doceres,	doceret.
P.	doceremus,	doceretis,	docerent.

Praeterito perfecto.

S.	docuerim,	docueris,	docuerit,
P.	docuerimus,	docueritis,	docuerint.

Praeterito pluſquam perfecto.

S.	Docuiſſem,	docuiſſes,	docuiſſet,
P.	docuiſſemus,	docuiſſetis,	docuiſſent.

Futuro

Futuro.

S. docuero, docueris, docuerit.
P. docuerimus, docueritis, docuerint.

INFINITIVO MODO

Tempore praeſenti.

Docere.

Praeterito perfecto

docuiſſe.

Futuro

docturum eſſe.

I *Coniuga doceor uerbum paſſiuum.*

INDICATIVO MODO

Tempore praeſenti.

S. doceor, doceris, uel docere, docetur,
P. docemur, docemini, docentur.

Praeterito imperfecto

S. docebar, docebaris, uel docebare, docebatur.
P. docebamur, docebamini, docebantur.

Praeterito perfecto

S. Doctus ſum, uel fui: doctus es, uel fuiſti: doctus eſt, uel fuit.
P. Docti ſumus, uel fuimus: docti eſtis, uel fuiſtis: docti ſunt, fuerunt, uel fuere.

Praeterito pluſquam perfecto

S. Doctus eram, uel fueram: doctus eras, uel fueras: doctus erat, uel fuerat.
P. Docti eramus, uel fueramus: docti eratis, uel fueratis: docti erant, uel fuerant.

Futuro

Futuro

S. docebar, doceberis, uel docere, docebit

P. docebimur, docebimini, docebuntur.

IMPERATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S. Docere, doceatur,

P. docemini, doceantur.

Futuro

S. Docetor tu: docetor ille.

P. doceminor: docentor.

SVBIVNCTIVO. MODO

Tempore praesenti.

S. Docear, docearis, uel doceare, doceat

P. doceamur, doceamini, doceantur.

Praeterito imperfecto (retur.

S. Docerer, docereris, uel docerere, doce-

P. doceremur, doceremini, docerentur.

Praeterito perfecto

S. Doctus sim, uel fuerim: doctus sis, uel fueris: doctus sit, uel fuerit.

P. Docti simus, uel fuerimus: docti sitis, uel fueritis: docti sint, uel fuerint.

Praeterito plusquam perfecto

S. Doctus essem, uel fuissem: doctus esses, uel fuisses: doctus esset, uel fuisset.

P. Docti essemus, uel fuissemus: docti essetis, uel fuissetis: docti essent, uel fuissent.

Futuro

S. Doctus ero, uel fuero: doctus eris, uel fueris: doctus erit, uel fuerit.

Docti

P. Docti erimus, uel fuerimus: docti eritis, uel fueritis: docti erunt, uel fuerint.

INFINITIVO. MODO

Tempore praesenti.

Doceri,

Praeterito

Doctum esse, uel fuisse.

Futuro

Doctum iri, uel docendum esse.

De tertia Coniugatione. Cap. IX.

II *Quae est tertia coniugatio?*

Quae habet E, breue ante re, in infinitiuo Actiuae uocis, uel in imperatiuo passiuae uocis: ut, legere, nascere.

III *Quotuplex est haec coniugatio?*

Duplex. Regularis ἀνάλογος: ut, lego, legor: irregularis, ἀνώμαλος: ut, sum, uolo, fero, edo.

III *Quid est coniugatio analoga?*

Est similis similium uerborum inflexio, seu uariatio: ut, lego, dico, scribo.

III *Quid est coningatio Anomalos?*

Est inaequalis uerborum inflexio: quae a communi regula discedit: ut, edo, es, est: fero, fers, fert.

IV *Quot modis formantur praeterita, & supina in hac coniugatione?*

Quinque modis.

Quis

IV *Quis est primus modus?*

Quaedam uerba tertiae coniugationis, consonantem praesentis, ante o, io, & uo, diuisas syllabas, in praeterito, & supino retinent: ut,
bibo, bibi, bibitum.
lambo, lambi, lambitum.
scabo, scabi, scabitum.
uinco, uici, uictum: n exciso.
ico, ici, ictum.
emo, emi, emptum.
redimo, redemi, redemptum.
cano, cecini, cantum.

Et quae a, mutant in praeterito, in E: ut,
capio, cepi, captum.
facio, feci, factum, cum compositis.
pario, peperi, partum.
reperio, reperi, repertum.
fugio, fugi, fugitum.
arguo, argui, arguitum, & argutum.
luo, lui, lutum.
diluo, dilui, dilutum.
fuo antiquum, fui, futum: unde futurus.
imbuo, imbui, imbutum.
induo, indui, indutum.
ingruo, ingrui, sine supino.
metuo, metui, sine supino.
pluo, plui, plutum.
ruo, rui, ruitum, & rutum.

Sic soluo, solui, solutum.
uoluo, uolui, uolutum.

Idem

2 Idem seruatur in deponentibus:ut,
Loquor,loquutus,sum.
sequor,sequutus,sum.
orior,ortus sum.
morior,mortuus sum: u,interposito.
tuor,tutus sum.
diuertor,diuerti.
liquor,absque praeterito.

IV *Quae uerba ad hunc primum ordinem pertinent?*

Verba, quae ad consonantem praesentis, assumunt s: ut,
Demo,demsi,demtum.
promo,promsi,promtum.
como,comsi,comtum.
sumo,sumsi,sumtum.
scalpo,scalpsi,scalptum.
sculpo,sculpsi,sculptum.
carpo,carpsi,carptum.
repo,repsi,reptum.
temno,temsi,temtum,abiecto n, praesentis.
scribo,nubo, & labor mutant b, in praeterito, & supino in p, litteram cognatam:ut,scribo,scripsi,scriptum: nubo,nupsi,nuptum: labor,lapsus sum.

Quidam scribsi,nubsi,& labsus maluerunt.

IV *Quis est secundus modus?*

Quaedam uerba, consonantem praesentis retinent in praeterito, mutant in supino:ut,
Accendo,accendi,accensum.
cudi,cudi,cusum.

defendo,

defendo,defendi,defenſum.
edo,edi,eſum.
fido, fiſus ſum.
mando,manſi,manſum.
prehendo,prehendi,prehenſum.
rudo,rudi, abſque ſupino.
ſcando,ſcandi,ſcanſum.
ſtrido,ſtridi,abſque ſupino.
pando, pandi, in ſupino paſſum facit. Vide Gell. lib.15.cap.15.
ago,egi,actum.
cogo,coegi,coactum.
dego, degi,ſine ſupino.
lego,legi,lectum.
colligo,collegi,collectum.
uello,uelli,& uulſi,uulſum.
ſallo,ſalli,ſalſum.
pſallo,pſalli,abſque ſupino.
fodio,fodi,foſſum.
uerro,uerri,uerſum.
uerto,uerti,uerſum.
reuertor,reuerti,& reuerſus ſum.

2 Item haec geminantia primam, in praeterito, ſyllabam:ut,
Caedo,cecidi,caeſum.
occido,occidi,occiſum.
cado,cecidi,caſum.
occido,occidi,occaſum.
curro,cucurri,curſum.
occurro,occurri,occurſum.

fallo,

fallo,fefelli,falſum,
refello,refelli.
pango,pepigi,& panxi,pactum.
impingo,impegi,impactum.
parco,peperci,parcitum:& parſi,parſum.
comparco,comparſi,comparſum.
pedo,pepedi,abſque ſupino.
oppedo,oppedi,
pendo,pependi,penſum.
ſuſpendo,ſuſpendi,ſuſpenſum.
pello,pepuli,pulſum,
expello,expuli,expulſum.
tollo,tetuli,latum.
ſuſtollo,ſuſtuli,ſublatum.
pungo,pupugi,& punxi,punctum.
repungo,repupugi,& repunxi,repunctum.
expungo,expunxi,expunctum.
diſpungo,diſpunxi,diſpunctum.
tango,tetigi,tactum.
contingo,contigi,contactum.
tendo,tetendi,tenſum,& tentum.
extendo,extendi,extenſum,& extentum.
oſtendo,oſtendi,oſtenſum,& oſtentum.
obtendo,obtendi,obtenſum,& obtentum.

IV *Quae huc pertinent?*

Quae M, & N, litteram praeſentis elidunt, in praeterito,& ſupino:ut,
Rumpo,rupi,ruptum.
errumpo,erupi,eruptum.
fundo,fudi,fuſum.

findo,fidi,fiſſum.
ſcindo,ſcidi,ſciſſum.
tundo,tutudi,tuſum.
contundo,contudi,contuſum.
frango,fregi,fractum.
effringo,effregi,effractum.
linquo,liqui,lictum.

IV *Quis eſt tertius formandi modus?*

Quaedam uerba, conſonantem praeſentis, mutant tam in praeterito, quam in ſupino: ut, laedo, laeſi,laeſum: mitto,miſi,miſſum: cedo,ceſſi,ceſſum: dico,dixi,dictum: ſugo,ſuxi,ſuctum.

IV *Quotuplex eſt iſta mutatio?*

Duplex. In quibuſdam conſona praeſentis, mutatur in praeterito, & ſupino, in s, uel ſimplex, uel duplex. In quibuſdam mutatur, in praeterito in x, in ſupino in c.

IV *Da exempla primae mutationis?*

parco,peperci,& parſi,parſum.
laedo,laeſi,laeſum.
ludo,luſi,luſum.
trudo,truſi,truſum.
rado,raſi,raſum.
uado,uaſi,uaſum.
diuido,diuiſi,diuiſum.
mergo,merſi,merſum.
tergo,terſi,terſum.
ſpargo,ſparſi,ſparſum.
nitor,niſus,& nixus ſum.
utor,uſus ſum.

Duplex ſs, habent.

cedo, ceſſi, ceſſum.
concedo, conceſſi, conceſſum.
premo, preſſi, preſſum.
gradior, greſſus ſum.
patior, paſſus ſum.
quatio, quaſſi, quaſſum.
concutio, concuſſi, concuſſum.
gero, geſſi, geſtum facit,
Sic uro, uſſi, uſtum.
queror, queſtus ſum.
mitto, miſi, miſſum facit.

Scaliger putat alterum s, praeteriti eſſe, non thematis cap. 25. de ling. Lat. Nam ſi quis breuiter, & accurate rem ponderet: format haec coniugatio ſua praeterita regulariter in ſi, uel explicitum: ut, laedo, laeſi, premo, preſſi: uel implicitum: ut, dico dixi: uinco uinxi: cingo cinxi: Supina uero in ſum, uel tum. In utroque uero praeterito, puta actiuo, & paſſiuo, litteram praeſentis, aut retinet, aut mutat, aut abijciet. Excipiuntur uerba in Do, plaeraque, & pauca in bo, co, go, lo, io, & uo, quae O, praeſentis in praeterito ſimpliciter mutant in i, aut ſolum abijciunt: ut, bibo, bibi: ico, ici: lego, legi: uello, uelli: facio, feci: capio, cepi: imbuo, imbui: induo, indui.

IV *Da exempla ſecundae imitationis?*

dico, dixi, dictum.
duco, duxi, ductum.
ſugo, ſuxi, ſuctum. Et tria compoſita a lego.

diligo,

diligo,dilexi,dilectum.
negligo,neglexi,neglectum.
intelligo,intellexi,intellectum.
rego,rexi,rectum.
ſurgo,pro ſurrigo,ſurrexi,ſurrectum.
pergo, pro perrego,perrexi,perrectum.
porrigo,porrexi,porrectum.
figo,fixi,fixum, differentiae cauſſa, ne uideatur a
fingo,finxi,fictum.
cingo,cinxi,cinctum.
tingo,pro quo rectius dicimus, tinguo, tinxi,tinctũ.
extinguo,extinxi,extinctum.
iungo,iunxi,iunctum.
pungo,punxi,& pupugi,punctum.
ungo,unxi,unctum.
fungor,functus ſum.
ningo,ninxi,abſque ſupino.
uiuo,uixi,uictum.
ueho,uexi,uectum.
traho,traxi,tractum.
coquo,coxi,coctum.
aſpicio,aſpexi,aſpectum.
allicio,allexi,allectum.

2 Et quae uerba in ſupinis elidunt N, praeſentis: ut,
meio,minxi,mictum:ab inuſitato mingo.
pingo,pinxi,pictum.
pango,panxi,pactum.
ſingo,finxi,fictum.
ſtringo,ſtrinxi,ſtrictum.

IV *Quae huc pertinent?*

1 Verba in uo, quae in praeterito x assumunt: ut

struo, struxi, structum.
fluo, fluxi, fluctum, & fluxum.
fruor, fruitus, & fructus sum.

2 Verba in cto, quae x praeteriti retinent in supino: ut,

necto, nexi, nexum.
flecto, flexi, flexum.
pecto, pexi, & pexui, pexum.
plecto, plexi, plexum.
amplector, amplexus sum.
complector, complexus sum.

IV *Quae est quartus modus?*

Quaedam uerba tertiae coniugationis consonantes praesentis, in praeteritis, & supinis iungunt, uocali excisa; formantq. sua praeterita more aliarum coniugationum: ut,

sterno, strani, stratum.
sperno, spreni, spretum.
cerno, creni, cretum.
decerno, decreni, decretum.
tero, trini, tritum.
sisti, stiti, & statui, statum.
existo, extiti.
resisto, restiti. Vide Gell. lib. 2. cap. 14.

IV *Quis est quinctus modus?*

Verba non pauca tertiae coniugationis, formant sua praeterita, & supina, more uerborum secundae coniugationis: ut,

colo,

colo,colui,cultum.
uolo,uolui,uultum.
consulo,consului,consultum.
occulo,occului,occultum.
molo,molui,molitum.
alo,alui, altum.
uomo,uomui,uomitum.
gemo,gemui,gemitum.
fremo,fremui,fremitum.
gigno,genui,genitum.
pinso,pinsui,pistum.
meto,messui,pro messi,messum.
sterto,stertui,absque supino.
texo,texui,textum.
nexo,nexui,nexum.
elicio,elicui,elicitum.
rapio,rapui,raptum.
eripio,eripui,ereptum.
surripio,surripui,surreptum.
sapio,sapui,& sapiui,antique.
desipio,desipui,absque supino.
antecello,antecellui,antecelsum.
praecello, praecellui,praecelsum.
percello, perculi,perculsum facit.

Item composita a cano.
occino,occinni,occentum.
praecino,praecinni,praecentum.

IV *Quae huc pertinent?*

1 Lino,cum compositis,mutuatur sua praeterita a uerbo antiquo leo, secundae coniugationis: ut,

lino,leni,litum.
oblino,obleui,oblitum, paenultima breui.
relino,releui,relitum.
2 Peto, quaero, & cupio, mutuantur sua praeterita, & supina ex quarta coniugatione: ut,
peto,petiui,petitum.
cupio,cupiui,cupitum.
quaero, quaesiui, quaesitum, tamquam a quaesio.
3 Sic sino,sini,situm
desino,desini,desitum, paenultima breui.
pono,posui,positum.
IV *Quid praeterea hic notandum?*
Verba quaedam tertiae coniugationis, habent geminata praeterita: ut,
uello,uelli,& uulsi
pango,pepigi,& panxi.
parco,peperci,& parsi
pungo,pupugi,& punxi.
reuertor,reuerti,& reuersus sum.
nitor,nisus,& nixus sum.
fruor,fruitus,& fructus sum.
I *Coniuga lego, uerbum actiuum.*

INDICATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S.	Lego,	legis,	legit.
P.	legimus,	legitis,	legunt.

Praeterito imperfecto

S.	Legebam,	legebas,	legebat.
P.	legebamus,	legebatis,	legebant.

Praete-

Praeterito perfecto

S.	Legi,	legisti,	legit.
P.	legimus,	legistis,	legerunt, uel legere.

Praeterito plusquam perfecto

S.	Legeram,	legeras,	legerat,
P.	legeramus,	legeratis,	legerant.

Futuro

S.	Legam,	leges,	leget
P.	legemus,	legetis,	legent.

IMPERATIVO . MODO

Tempore praesenti.

S.	Lege,	legat.
P.	legite,	legant.

Futuro

S.	Legito tu,	legito ille.
P.	legitote,	legunto.

SVBIVNCTIVO . MODO

Tempore praesenti.

S.	Legam,	legas,	legat,
P.	legamus,	legatis,	legant.

Praeterito imperfecto

S.	Legerem,	legeres,	legeret,
P.	legeremus,	legeretis,	legerent.

Praeterito perfecto

S.	Legerim,	legeris,	legerit,
P.	legerimus,	legeritis,	legerint.

Praeterito plusquam perfecto

S.	Legissem,	legisses,	legisset,
P.	legissemus,	legissetis,	legissent.

Futuro.

S.	Legero,	legeris,	legerit,
P.	legerimus,	legeritis,	legerint.

INFINITIVO. MODO

Tempore praesenti.

Legere.

Praeterito.

Legisse.

Futuro.

Lecturum esse.

I *Coniuga legor, uerbum passiuum.*

INDICATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S.	Legor,	legeris, uel legere,	legitur,
P.	legimur,	legimini,	leguntur.

Praeterito imperfecto.

S.	Legebar,	legebaris, uel legebare,	legebatur.
P.	Legebamur,	legebamini,	legebantur.

Praeterito perfecto.

S. Lectus sum, uel fui: lectus es, uel fuisti: lectus est, uel fuit.

P. Lecti sumus, uel fuimus: lecti estis, uel fuistis: lecti sunt, fuerunt, uel fuere.

Praeterito plusquamperfecto.

S. Lectus eram, uel fueram: lectus eras, uel fueras: lectus erat, uel fuerat.

P. Lecti eramus, uel fueramus: lecti eratis, uel fueratis: lecti erant, uel fuerant.

Futuro

Futuro

S. Legar, legeris, uel legere, legetur.
P. legemur, legemini, legentur.

IMPERATIVO. MODO

Tempore praeſenti.

S. Legere, legatur:
P. legimini, legantur.

Futuro.

S. Legitor tu, legitor ille.
P. egiminor, leguntor.

SVBIVNCTIVO. MODO

Tempore praeſenti.

S. Legar, legaris, uel legare, legatur.
P. legamur, legamini, legantur.

Praeterito imperfecto.

S. Legerer, legereris, uel legerere, legeret
P. legeremur, legeremini, legerentur.

Praeterito perfecto.

S. Lectus ſim, uel fuerim: lectus ſis, uel fueris: lectus ſit, uel fuerit.
P. Lecti ſimus, uel fuerimus: lecti ſitis, uel fueritis: lecti ſint, uel fuerint.

Praeterito pluſquam perfecto.

S. Lectus eſſem, uel fuiſſem: lectus eſſes, uel fuiſſes: lectus eſſet, uel fuiſſet.
P. Lecti eſſemus, uel fuiſſemus: lecti eſſetis, uel fuiſſetis: lecti eſſent, uel fuiſſent.

Futuro.

S. Lectus ero, uel fuero: lectus eris, uel fueris: lectus erit, uel fuerit.

Lecti

P. Lecti erimus, uel fuerimus; lecti eritis, uel fueritis: lecti erunt, uel fuerint.

INFINITIVO. MODO

Tempore praesenti.

Legi.

Praeterito.

Lectum esse, uel fuisse.

Futuro.

Lectum iri, uel legendum esse.

De uerbis anomalis in tertia coniugatione. Cap. X.

III *Quae uerba ab hac analogia uariant?*

Haec quattuor: Fero, Edo, Volo, & Sum. Nam in praesenti contrahuntur more Graeco: ut Fero, fers, fert: pro feris, ferit; ne uideatur a ferio. Volo, uis, uult, uolumus, uultis: pro uolis, uolit, uolitis. Edo, es, est: & edo, edis, edit. In caeteris analogiam sequuntur: ut ferebam, ferebas, ferebat: feram, feres, feret: uolebam, uolebas, uolebat: uolam, uoles, uolet &c. Sum, praeterita sua mutuatur, ab antiquo uerbo fuo, fuere: unde permanauit fore. Fero praeterita accipit ab antiquo tulo, uel ab usitato tollo, tetuli: pro quo nunc dicimus tuli.

Coniuga

I *Coniuga Fero, uerbum actiuum.*

INDICATIVO. MODO

Tempore praeſenti.

S.	fero,	fers,	fert.
P.	ferimus,	fertis,	ferunt.

Praeterito imperfecto.

S.	Ferebam,	ferebas,	ferebat.
P.	fetebamus,	ferebatis,	ferebant.

Praeterito perfecto.

S.	Tuli,	tuliſti,	tulit,
P.	tulimus,	tuliſtis,	tulerunt, uel tulere.

Praeterito pluſquamperfecto.

S.	Tuleram,	tuleras,	tulerat.
P.	tuleramus,	tuleratis,	tulerant.

Futuro.

S.	Feram,	feres,	feret.
P.	feremus,	feretis.	ferent.

IMPERATIVO. MODO

Tempore praeſenti.

S.	Fer, per apocopen,	ferat.
P.	ferte,	ferant.

Futuro.

S.	ferto tu,	ferto ille.
P.	ferto te,	ferunto.

SVBIVNCTIVO. MODO

Tempore praeſenti.

S.	feram,	feras,	ferat.
P.	feramus,	feratis,	ferant.

Praeterito

Praeterito imperfecto

S.	Ferrem,	ferres,	ferret,
P.	ferremus,	ferretis,	ferrent.

Praeterito perfecto

S.	Tulerim,	tuleris,	tulerit,
P.	tulerimus,	tuleritis,	tulerint.

Praeterito plusquam perfecto

S.	Tulissem,	tulisses,	tulisset,
P.	tulissemus,	tulissetis,	tulissent.

Futuro

S.	Tulero,	tuleris,	tulerit,
P.	tulerimus,	tuleritis,	tulerint.

INFINITIVO . MODO

Tempore praesenti.

Ferre.

Praeterito

Tulisse.

Futuro.

Laturum esse.

Coniuga feror, uerbum passiuum.

INDICATIVO . MODO

Tempore praesenti.

S.	Feror,	ferris, uel ferre,	fertur.
P.	ferimur,	ferimini,	feruntur.

Praeterito imperfecto

S.	Ferebar,	ferebaris, uel ferebare,	ferebatur,
P.	ferebamur,	ferebamini,	ferebantur.

Praeterito perfecto

S. Latus sum, uel fui: latus es, uel fuisti: latus est, uel fuit.

Lati

P. Lati ſumus, uel fuimus: lati eſtis, uel fuiſtis: lati ſunt, fuerunt, uel fuere.

Praeterito pluſquam perfecto.

S. Latus eram, uel fueram: latus eras, uel fueras: laus erat, uel fuerat.

P. Lati eramus, uel fueramus: lati eratis, uel fueratis: lati erant, uel fuerant.

Futuro

S.	Ferar,	fereris, uel ferere,	feretur.
P.	feremur,	feremini,	ferentur.

IMPERATIVO. MODO

Tempore praeſenti.

S.	Ferre,	feratur.
P.	ferimini,	ferantur.

Futuro

S.	Fertor tu,	fertor ille,
P.	feriminor,	feruntor.

SVBIVNCTIVO. MODO

Tempore praeſenti.

S.	Ferar,	feraris, uel ferare,	feratur.
P.	feramur,	feramini,	ferantur.

Praeterito imperfecto

S.	Ferrer,	ferreris, uel ferrere,	ferretur.
P.	ferremur,	ferremini,	ferrentur.

Praeterito perfecto

S. Latus ſim, uel fuerim: latus ſis, uel fueris: latus ſit, uel fuerit.

P. Lati ſimus, uel fuerimus: lati ſitis, uel fueritis: lati ſint, uel fuerint.

Praeterito

Praeterito plusquam perfecto.
S. Latus essem, uel fuissem; latus esses, uel fuisses; latus esset, uel fuisset.
P. Lati essemus, uel fuissemus; lati essetis, uel fuissetis; lati essent, uel fuissent.
Futuro.
S. Latus ero, uel fuero; latus eris, uel fueris; latus erit, uel fuerit.
P. Lati erimus, uel fuerimus; lati eritis, uel fueritis; lati erunt, uel fuerunt.

INFINITIVO. MODO

Tempore praesenti.

Ferri.
Praeterito.
Latum esse, uel fuisse.
Futuro.
Latum iri, uel ferendum esse.

I *Coniuga Edo uerbum actiuum.*

S. Edo, edis, uel es: edit, uel est: passiua uoce editur, uel estur.
P. Edimus, editis uel estis, edunt.
Praeterito imperfecto.
S. Edebam, edebas, edebat &c.
Praeterito perfecto.
S. Edi, edisti, edit &c.
Praeterito plusquamperfecto.
S. Ederam, ederas, ederat &c.
Futuro.
S. Edam, edes, edet &c.

IMPERATIVO. MODO

Tempore praeſenti.

S. Ede, uel es, edat.
P. edite, uel eſte, edant

Futuro.

S. Edito, uel eſto tu, edito, uel eſto ille.
P. editote, uel eſtote, edunto.

SVBIVNCTIVO. MODO

Tempore praeſenti.

S. Edam, edas, edas &c.

Praeterito imperfecto.

S. Ederem, ederes, ederet, uel eſſem, eſ-
ſes, eſſet.
P. Ederemus, ederetis, ederent, uel eſſemus, eſ-
ſetis, eſſent.

Reliqua tempora analogiam ſequuntur.

INFINITIVO. MODO

Tempore praeſenti.

Edere, uel eſſe.

Praeterito.

Ediſſe.

Futuro.

Eſurum eſſe.

II *Coniuga uolo uerbum abſolutum.*

INDICATIVO. MODO

Tempore praeſenti.

S. Volo, uis, uult. P. uolumus, uultis, uolunt.
Sic & compoſita. Malo, mauis, mauult:
P. Malumus, mauultis, malunt. Nolo, non uis,
non uult. Nolumus, non uultis, nolunt.

Praeterito

Praeterito imperfecto.

S. Volebam, uolebas, uolebat.
P. uolebamus, uolebatis, uolebant.

Composita: Malebam, malebas, &c. Nolebam, nolebas, nolebat, &c.

Praeterito perfecto.

S. Volui, uoluisti, uoluit.
P. uoluimus, uoluistis, uoluerunt, uel uoluere. Composita, Malui, nolui.

Praeterito plusquam perfecto

S. Volueram, uolueras, uoluerat.
P. uolueramus, uolueratis, uoluerant.

Composita, Malueram, Nolueram.

Futuro

S. Volam, uoles, uolet.
P. uolemus, uoletis, uolent.

Composita: Mauolam, mauoles: Nolam, noles, &c.

IMPERATIVO . MODO

Simplex in hoc modo non extat.

nolo compositum, tempore praesenti.

S. Noli, nolit.
P. nolite, nolint.

Futuro

S. Nolito tu, nolito ille.
P. nolitote, nolinto, ut uidetur.

SVBIVNCTIVO . MODO

Tempore praesenti.

S. Velim, uelis, uelit.
P. uelimus, uelitis, uelint.

Composita:

Composita: Malim, malis: nolim, nolis, &c.

Praeterito imperfecto.

S. Vellem, uelles, uellet.
P. uellemus, uelletis, uellent.

Composita: mallem, nollem.

Praeterito perfecto

S. Voluerim, uolueris, uoluerit.
P. uoluerimus, uolueritis, uoluerint.

Composita: maluerim, noluerim.

Praeterito plusquam perfecto

S. Voluissem, uoluisses, uoluisset.
P. uoluissemus, uoluissetis, uoluissent.

Composita: maluissem, noluissem.

Futuro

S. Voluero, uolueris, uoluerit.
P. uoluerimus, uolueritis, uoluerint.

Composita: maluero, noluero.

INFINITIVO. MODO

Tempore praesenti.

Velle. Composita: malle, nolle.

Praeterito.

Voluisse, maluisse, noluisse.

Futuro caret.

I *Coniuga sum, uerbum substantiuum.*

INDICATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S. Sum, es, est.
P. sumus, estis, sunt.

Composita: possum, potes, potest. P. possumus, potestis, possunt. Prosum, prodes, prodest.

P. prosumus, prodestis, prosunt. Assum, ades, adest. P. assumus, adestis, assunt. Praesum, praees, praeest. P. praesumus, praestis, praesunt, & similia: ut, intersum, subsum, supersum, obsum, insum, desum, absum.

Praeterito imperfecto

S.	Eram,	eras,	erat.
P.	eramus,	eratis,	erant.

Composita: poteram, proderam, aderam, praeeram, &c.

Praeterito perfecto

S.	Fui,	fuisti,	fuit.
P.	fuimus,	fuistis,	fuerunt, uel fuere.

Composita: potui, profui, adfui, praefui, &c.

Praeterito plusquam perfecto.

S.	Fueram,	fueras,	fuerat.
P.	fueramus,	fueratis,	fuerant.

Composita, potueram, profueram, affueram, praefueram, &c.

Futuro.

S.	Ero,	eris,	erit.
P.	erimus,	eritis,	erunt.

Composita: potero, prodero, adero, praeero, &c.

IMPERATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S.	Es,	sit.
P.	este,	sint.

Composita: prodes, ades, praees, &c.

Futuro.

S.	Esto tu,	esto ille.

estote,

P. eſtote,	ſunto.	

Compoſita: prodeſto, adeſto, praeeſto &c. Potentiam nemo alteri imperare poteſt: niſi forte ironicos.

SVBIVNCTIVO. MODO

Tempore praeſenti.

S. Sim,	ſis,	ſit.
P. ſimus,	ſitis,	ſint.

Compoſita: poſſim, praeſim, proſim, aſſim. &c.

Praeterito imperfecto.

S. Eſſem,	eſſes,	eſſet.
P. eſſemus,	eſſetis,	eſſent.

Compoſita: poſſem, & antique poteſſem: prodeſſem, adeſſem, praeeſſem, &c.

Praeterito perfecto.

S. Fuerim,	fueris,	fuerit.
P. fuerimus,	fueritis,	fuerint.

Compoſita: potuerim, profuerim, affuerim, praefuerim, &c.

Praeterito pluſquam perfecto.

S. Fuiſſem,	fuiſſes,	fuiſſet.
P. fuiſſemus,	fuiſſetis,	fuiſſent.

Compoſita: potuiſſem, profuiſſem, affuiſſem, praefuiſſem, &c.

Futuro.

S. Fuero,	fueris,	fuerit.
P. fuerimus,	fueritis,	fuerint.

Compoſita: potuero, profuero, affuero, praefuero: &c.

INFINITIVO. MODO

Tempore praesenti.

Esse. Composita: posse, prodesse, adesse, praeesse.

Praeterito

Fuisse. Composita: potuisse, profuisse, affuisse, praefuisse.

Futuro

Futurum esse. Composita: Profuturum, affuturum, praefuturum. Nam a possum non extat futurum.

De quarta coniugatione.
Cap. XI.

II *Quae est quarta coniugatio?*

Quae habet i, longum ante re, uel ri in infinitiuo: ut, audire, audiri, metiri.

III *Quomodo uerba huius coniugationis formant sua praeterita, & supina?*

Praeterita formant in iui, supina in itum: paenultima longa: ut, audio, audiui, auditum: largior, largitus sum: potior, potitus sum: molior, molitus sum. Praeter Eo, iui, itum: queo, quiui, quitum: quae paenultimas supinorum breues habent: ut, & composita: abeo, abiui, abitum: redeo, rediui, reditum. Ferro caret praeterito, & supino.

IV *Quae uerba aliter formant supina?*

Syncopen, patiuntur in supinis.

sepelio,

ſepelio, ſepeliui, ſepultum.
ſingultio, ſingultiui, ſingultum.
uaeneo, uaeniui, uaenum.

Sic experior, expertus ſum: opperior, opperitus, & oppertus ſum.

III *Quae aliter formant tam praeterita, quam ſupina?*

1 Quaedam uerba conſonantem ante io, mutant in praeterito in s: in ſupino in t: ut,
Fulcio, fulſi, fultum.
farcio, farſi, fartum.
refercio, referſi, refertum.
ſarcio, ſarſi, ſartum.
reſarcio, reſarſi, reſartum.
ordior, orſus ſum.
metior, menſus ſum. aſſunto N.

2 Quaedam s, praeteriti in ſupino retinent: ut,
raucio, rauſi, rauſum.
ſentio, ſenſi, ſenſum.
haurio, hauſi hauſum, & hauſtum.

3 Quaedam uerba quartae coniugationis, conſonantem praeſentis ultimam, mutant in praeterito in x: ut,
uincio, uinxi, uinctum.
ſancio, ſanxi, ſanctum.

4 Quaedam o praeſentis, in praeterito abijciunt: ut,
uenio, ueni, uentum.
reperio, reperi, repertum.

comperior,comperi,tamquam a comperio.

5 Quaedam more aliarum coniugationum, formant sua praeterita, & supina:ut,
aperio,aperui,apertum.
operio,operui,opertum.
salio,salui,saltum.
exilio,exilui,exultum.
sepio,sepsi,septum.

6 Quaedam habent geminum praeteritum:ut,
sanxio,sanxi,sanctum: & sanciui,sancitum.
salio,salui, & saliui.
exilio,exilui,& exiliui.

I *Coniuga audio, uerbum actiuum.*

INDICATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S.	Audio,	audis,	audit.
P.	audimus,	auditis,	audiunt.

Praeterito imperfecto.

S.	Audiebam,	audiebas,	audiebat.
P.	audiebamus,	audiebatis,	audiebant.

Praeterito perfecto.

S.	Audiui,	audiuisti,	audiuit.
P.	audiuimus,	audiuistis,	audiuerunt, uel audiuere.

Praeterito plusquamperfecto.

S.	Audiueram,	audiueras,	audiuerat.
P.	audiueramus,	audiueratis,	audiuerant.

Futuro.

S.	Audiam,	audies,	audiet.
P.	audiemus,	audietis,	audient.

IM-

IMPERATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S.	Audi,	audiat.
P.	audite,	audiant.

Futuro

S.	Audito tu,	audito ille.
P.	auditote,	audiunto.

SVBIVNCTIVO. MODO

Tempore praesenti.

S.	Audiam,	audias,	audiat.
P.	audiamus,	audiatis,	audiant.

Praeterito imperfecto

S.	Audirem,	audires,	audiret.
P.	audiremus,	audiretis,	audirent.

Praeterito perfecto

S.	Audiuerim,	audiueris,	audiuerit.
P.	audiuerimus,	audiueritis,	audiuerint.

Praeterito plusquamperfecto

S.	Audiuissem,	audiuisses,	audiuisset.
P.	audiuissemus,	audiuissetis,	audiuissent.

Futuro

S.	Audiuero,	audiueris,	audiuerit.
P.	audiuerimus,	audiueritis,	audiuerint.

INFINITIVO. MODO

Tempore praesenti.

Audire.

Praeterito.

Audiuisse.

Futuro

Auditurum esse.

I *Coniuga audior, uerbum passiuum.*

INDICATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S. Audior, audiris, uel audire, auditur.
P. audimur, audimini, audiuntur.

Praeterito imperfecto.

S. Audiebar, audiebaris, uel audiebare audiebatur.
P. audiebamur, audiebamini, audiebantur.

Praeterito perfecto.

S. Auditus sum, uel fui: auditus es, uel fuisti: auditus est uel fuit.

P. Auditi sumus, uel fuimus: auditi estis, uel fuistis: auditi sunt, fuerunt, uel fuere.

Praeterito plusquamperfecto.

S. Auditus eram, uel fueram: auditus eras, uel fueras: auditus erat, uel fuerat.

P. Auditi eramus, uel fueramus: auditi eratis, uel fueratis: auditi erant, uel fuerant.

Futuro.

S. Audiar, audieris, uel audiere, audietur.
P. audiemur, audiemini, audientur.

IMPERATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S. Audire, audiatur,
P. audimini, audiantur.

Futuro

S. Auditor tu, auditor ille.
P. audiminor, audiuntor.

CON-

CONIVNCTIVO . MODO

Tempore praesenti.

S. Audiar, audiaris, uel audiare, audiať

P. audiamur, audiamini, audiantur.

Praeterito imperfecto

S. Audirer, audireris, uel audirere, audiretur.

P. audiremur, audiremini, audirentur.

Praeterito perfecto

S. Auditus sim, uel fuerim : auditus sis, uel fueris: auditus sit, uel fuerit.

P. auditi simus, uel fuerimus: auditi sitis, uel fueritis: auditi sint, uel fuerint.

Praeterito plusquamperfecto

S. Auditus essem, uel fuissem: auditus esses, uel fuisses: auditus esset, uel fuisset.

P. auditi essemus, uel fuissemus: auditi essetis, uel fuissetis: auditi essent, uel fuissent.

Futuro

S. Auditus ero, uel fuero : auditus eris, uel fueris: auditus erit, uel fuerit.

P. auditi erimus, uel fuerimus: auditi eritis, uel fueritis: auditi erunt, uel fuerint.

INFINITIVO . MODO

Tempore praesenti.

Audiri.

Praeterito.

Auditum esse, uel fuisse.

Futuro.

Auditum iri: uel audiendum esse.

Dic

II *Dic mihi regulam generalem?*

Passiuorum formam in qualibet coniugatione, sequuntur Deponentia, & Communia.

III *Quae uerba quartae coniugationis ab analogia uariant nonnihil?*

Haec duo: Eo, queo, & fio.

II *Coniuga Eo, & queo.*

INDICATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S. Eo, is, it: queo, quis, quit.
P. imus, itis, eunt: quimus, quitis, quaeunt.

Praeterito imperfecto

S. ibam, ibas, ibat: quibam, quibas, quibat.
P. ibamus, ibatis, ibant: quibamus, quibatis, quibant.

Praeterito perfecto.

S. iui, iuisti, iuit: quiui, quiuisti, quiuit.
P. iuimus, iuistis, iuerunt, uel iuere: quiuimus, &c.

Praeterito plusquamperfecto.

S. iueram, iueras, iuerat: quiueram, as, at.
P. iueramus, iueratis, iuerant: quiueramus, &c.

Futuro.

S. eam, & ibo, ibis, ibit: quibo, quibis, quibit.
P. ibimus, ibitis, ibunt: quibimus, quibitis, quibunt.

IMPERATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S. I, eat. P. ite, eant. Queo caret imperatiuo. Nam nemo potest alteri imperare potentiam.

Futuro

Futuro.

S. Ito tu, ito ille.
P. itote, eunto.

SVBIVNCTIVO. MODO

Tempore praeſenti.

S. eam, eas, eat: queam, queas, queat.
P. eamus, eatis, eant: queamus, queatis, queant.

Praeterito imperfecto.

S. irem, ires, iret: quirem, quires, quiret.
P. iremus, iretis, irent: quiremus, quiretis, quirent.

Praeterito perfecto

S. iuerim, iueris, iuerit: quiuerim, quiueris, quiuerit.
P. iuerimus, iuetitis, iuerint: quiuerimus, quiueritis, quiuerint.

Praeterito pluſquamperfecto

S. iuiſſem, iuiſſes, iuiſſet: quiuiſſem, quiuiſſes, quiuiſſet.
P. iuiſſemus, iuiſſetis, iuiſſent: quiuiſſemus, quiuiſſetis, quiuiſſent.

Futuro.

S. iuero, iueris, iuerit: quiuero, quiueris, quiuerit.
P. iuerimus, iueritis, iuerint: quiuerimus, quiueritis, quiuerint.

INFINITIVO. MODO

Tempore praeſenti.

ire: quire.

Praeterito

Praeterito.

Iuisse: quiuisse.

Futuro.

Iturum: quiturum esse.

II *Coniuga fio, neutro passiuum.*

INDICATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S.	Fio,	fis,	fit.
P.	fimus,	fitis,	fiunt.

Praeterito imperfecto.

S.	Fiebam,	fiebas,	fiebat. &c.

Praeterito perfecto, & plusquamperfecto caret.

Futuro

S.	Fiam,	fies,	fiet.
P.	fiemus,	fietis,	fient.

IMPERATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S.	Fi,	fiat.
P.	fite,	fiant.

Futuro

S.	Fito tu,	fito ille.
P.	fitote,	fiunto.

SVBIVNCTIVO. MODO

Tempore praesenti.

S.	Fiam,	fias,	fiat.
P.	fiamus,	fiatis,	fiant.

Praeterito imperfecto (fires, &c.

S.	Fierem,	fieres,	fieret: pro firé,
P.	fieremus,	fieretis,	fierent.

Perfectis

Perfectis temporibus caret, ſicut & futuro, quod uide formari ſolet.

INFINITIVO. MODO

Tempore praeſenti.

Fieri pro firi. Sic etiam coniugatur Confio. patefio: quo uerbo uſi ſunt Cicero, & Terentius: & calefio, quod uerbum reperitur apud Plinium. Valla lib. 1. cap. 22. docet, Latinius dici, caleſco, tepeſco, tumeſco, frigeſco, oleſco: quam calefio, tepefio, tumefio, frigefio, olfio.

De uerbis imperfectis, ſeu defectiuis. Cap. XII.

III *Quae uerba dicuntur imperfecta, ſiue defectiua?*

Quae aliquibus perſonis, aut numeris, aut temporibus, aut modis deficiunt.

III *Da talia uerba defectiua?*

Aio, inquio, cedo, infit, quaeſo, faxo, auſim, forem, ſalue, uale, aue, memini, odi, coepi, & noui. Itẽ Facio actiuum, & Fio neutro paſſiuum. Nam facio in omnibus modis, paſſiuae coniugationis, caret praeſenti, praeterito imperfecto, & futuro: quod inde formatur: praeterquam futuro participij, faciendus. Verumtamen compoſita a facio, & praepoſitione: iſta tempora paſſiua recipiunt. Dicimus enim: Conficior, conficiebar, conficiar: conficere, conficitor: conficiar, conficerer, confici. Et ſic coniugantur

etiam

etiam alia composita: ut afficior, efficior, deficior, perficior, praeficior, reficior, sufficior, &c.

In caeteris passiuis temporibus, actiuum facio, analogiam sequitur. Dicimus enim: Factus sum, uel fui: factus eram, uel fueram: factus sim, uel fuerim: factus essem, uel fuissem: factus ero, uel fuero.

IV *Coniuga aio.*

INDICATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S.	Aio,	ais,	ait.
P.	aiunt.		

Praeterito imperfecto.

S.	Aiebam,	aiebas,	aiebat.
P.	aiebamus,	aiebatis,	aiebant.

IMPERATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S. Ai, antique.

SVBIVNCTIVO. MODO

Tempore praesenti.

S.	Aias,	aiat.
P.	aiamus,	aiant.

Cetera desiderantur.

IV *Coniuga inquio.*

INDICATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S.	Inquio,	inquis,	inquit.
P.	inquiunt.		

Praeterito imperfecto.

S. Inquiebam, & per syncopen, Inquam.

Praeterito

Praeterito perfecto

S. Inquisti.

Futuro.

S. Inquies, inquiet.

IMPERATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S. Inque, inquiat.

Futuro.

S. Inquito.

SVBIVNCTIVO. MODO

Tempore praesenti.

S. Inquiat. Cetera desunt.

IV *Coniuga cedo, & infit.*

Cedo, pro dic, aut da. Infit pro inquit: unicae sunt uoces: prior quidem praesens imperatiui: posterior praesens indicatiui, in tertia persona.

IV *Coniuga quaeso.*

INDICATIVO. MODO

Tempore praesenti.

S. Quaeso. P. quaesumus. In ceteris deficit.

IV *Coniuga faxo.*

INDICATIVO. MODO

Tempore futuro.

S. Faxo, pro faciam.

SVBIVNCTIVO. MODO

Tempore praesenti.

S.	Faxim,	faxis,	faxit.
P.	faximus,	faxitis,	faxint.

Coniuga

IV *Coniuga Forem.*

SVBIVNCTIVO. MODO

Praeterito imperfecto.

S. Forem, fores, foret.

P. forent.

INFINITIVO. MODO

Futuro tempore.

Fore, id est, futurum esse. Composita, affore, confore, profore.

IV *Coniuga memini, odi, coepi, & noui.*

INDICATIVO. MODO

Tempore praesenti, &
praeterito perfecto

S. Memini, meministi, meminit.

P. meminimus, meministis, meminerunt, uel meminere. Sic odi, odisti, odit. &c. coepi, coepisti, coepit, & noui, nouisti, nouit, &c.

Praeterito plusquamperfecto.

S. Memineram, memineras, meminerat.

P. memineramus, memineratis, meminerant. Sic oderam, coeperam, noueram.

IMPERATIVO. MODO

Tempore futuro.

S. Memento tu, memento ille.

P. mementote. Reliqua carent imperatiuo.

SVBIVNCTIVO. MODO

Tempore praesenti, &
Praeterito perfecto

S. Meminerim, memineris, meminerit.

P. meminerimus, memineritis, meminerint.

Sic

Sic oderim, coeperim, nouerim.

Praeterito plusquamperfecto.

S. Meminissem, meminisses, meminisset.
P. meminissemus, meminissetis, meminissent.

Sic odissem, coepissem, nouissem.

Futuro.

S. Meminero, memineris, meminerit.
P. meminerimus, memineritis, meminerint.

Sic odero, coepero, nouero.

INFINITIVO. MODO

Tempore praesenti, & Praeterito.

Meminisse, odisse, coepisse, nouisse.

Futuro

Memini, & noui, futuro infinito carent. odi, & coepi hoc futurum habent: osurum esse: coepturum esse. Eadem de se formant passiuum futurum infinitum: osum iri: coeptum iri.

IV *An non sunt etiam uerba quaedam Heteroclita, id est, diuersarum coniugationum?*

Immo sunt quaedam: ut, lauo, lauas, lauare: & lauo, lauis, lauere: cieo, cies, ciere: & cio, cis, ciere: fulgeo, & fulgo: tergeo, & tergo: strideo, & strido: ferueo, feruere: & feruo, feruere: tueor, & tuor: Sic orior, oreris in infinitiuo oriri facit. Potior, potiris, potitur: & poteris, potitur.

De Participio, eiusq. diuisione. Cap. XIII.

III *Quid est participium?*

Participium est dictio, quae orta a uerbo, trahit significationem, & tempora secum, eaq. adiungit generi, & casibus. Plus enim uerbi, quam Nominis obtinet: quippe quod etiam uerbi sui constructionem habet: ut,

Acer, & ad palmae per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus. Ouid.

IV *Quare dicitur participium?*

Quia accidentia participij sunt partim a solo Nomine: ut, Genus, casus, & declinatio: partim a solo uerbo: ut, tempus, & significatio; quae tamen est forma dictionum, non accidens: partim utrique sunt communia: ut, Numerus, & figura.

III *Quotuplex est participium?*

Duplex. Actiuum: ut, amans, currens: passiuum, ut amatus.

III *Quotuplex est participium actiuum?*

Duplex. Absolutum, & transitiuum.

III *Quid est participium absolutum?*

Quod a uerbo absolutae significationis descendit: ut, stans, a sto: currens, a curro.

III *Quot ueniunt Participia a uerbis absolutis?*

Duo. Vt, stans, staturus: currens, cursurus: sedens,

dens,sessurus: arans,araturus: dolens,doliturus: uigilans, uigilaturus: potans, potaturus: poenitens, poeniturus. In aliquibus unum tantum est participium, actiuae significationis: ut, pudens, libens, licens,&c.

IV *Veniunt ne etiam paßiuae significationis tempora, a uerbis absolutis?*

Veniunt, & quidem ab omnibus tam praeterita, quam futura, quoties non desunt res, quibus ea possunt attribui. Dicimus enim aratam, & arandam terram: decursa spacia: stata tempora: agrum poenitendum: uitam pudendam, pigendam, miserendam. Tibull. cum fletu nox uigilanda uenit. Virg. Morte obita, quales fama est uolitare figuras. Plaut. Dum stas, reditum oportuit. Sic dicuntur, laboratus, elaboratus, regnatus, triumphatus, erratus, pererratus, uigilatus. Item potus, potatus, & potandus: iuratus, iurandus, apud Horat. Titubatus apud Virg. cassus, carendus, apud Ouid. Suetus, desuetus, a suesco, desuesco: coeptus a coepi: osus ab odi: sic perosus, exosus: pertaesus, a pertaedet. Coenatus, pransus, nuptus, placitus, licitus: unde illicitus. Atque etiam in uerbo dicimus, placitum est, licitum est, libitum est: pro placuit, licuit, libuit.

Quid hic notandum?

Quaedam ex his participijs, etsi passiuam habent terminationem: tamen actiuam significationem retinent: ut, plebs nomen regum perosa. Liuius. Lucem perosi. Virgil. Rex arma perosus. Ouid. Troianos exosus ad unum. Virg. Exosus hostes. Stat.

Gell.lib.2.cap.18. satis ineleganter dixit, Diis exosos esse,pro inuisos. Pertaesus ignauiam,dixit Sueton.in Caes.cap.7.uide Vall.lib.1.cap.30.

III *Quid est participium transitiuum?*

Quod a uerbo transitiuo descendit: ut, amans, ab amo: legens,a lego.

III *Quot ueniunt participia a uerbo transitiuo?*

Duo: ut.amans,amaturus: docens, docturus: legens,lecturus: audiens.auditurus.

III *Quid est participium passiuum?*

Quod a uerbo passiuo descendit: ut, amatus,ab amor: lectus,a legor.

III *Quot ueniunt participia a uerbo passiuo?*

Duo: ut,amatus,amandus: doctus,docendus: lectus,legendus: auditus,audiendus.

III *Quae participia pertinent ad actiua, & passiua?*

Deponentia, neutropassiua,& communia.

III *Quid est participium deponens?*

Quod a uerbo deponenti descendit: ut,sequens,a sequor: natus,a nascor: oriundus,ab orior.

III *Quot ueniunt participia a uerbis deponentibus?*

Tria plerumque ab omnibus: ut, loquens,locutus,locuturus, a loquor: sequens, sequutus, sequuturus,a sequor.

IV *An non ueniunt etiam participia in dus significationis passiuae, a uerbis deponentibus?*

Immo a perquam plurimis, & paene ab omnibus,

bus, quae de se formant Gerundiae: ut,

Adipiscendus; Cic. 1. Offic. 1. de Fin. 3. de Orat. 2. de Leg.

Aemulandus; Plin. in epist.

cohortandus; Cic. 1. de Orat.

adhortandus; Teren. Heaut. act. 3. sc. 1.

experiendus; Ouid. Tempore sic duro est experiunda fides.

fatendus; Idem. Sunt tantum euentu dura fatenda meo.

profitendus; Cic. 1. de Nat. deor. Ad sententiam profitendam.

fruendus; Cicero de sen. & Horat. libro 4. carm. oda. 4.

medendus; Sueton. cap. 8.

imitandus; Ouid. Arcus, & arma tuae tibi sunt imitanda Dianae.

medicandus; Tibull. lib. 3. Aufer, & ipse meum pariter medicandae dolorem.

metiendus; Pedes non syllabis, sed temporibus metiendi; Cic.

miserandus; Id. Oratio tua omnibus miseranda uisa est.

moderandus; Ouid. Ille dolor uerbis emoderandus erit.

modulandus; Hor. Fidibus modulanda Latinis. libro 2. epist. 2.

morandus; Ouid. lib. 3. Trist. eleg. 9.

obliuiscendus; Horat. lib. 1. epist. 11.

oriendus, & oriundus; frequens participium.

adoriendus, Cic. ad Heren. Ad rem adoriendam.
ſequendus, Ouid. Non tibi ſic, dices, Phylli ſequentibus eram.
perſequendus. Cic. in Orat.
patiendus, idem ad Att. lib. 10. ep. 12. Pro Sylla. in Orat.
potiundus, Cic. in parad. In potiundis uoluptatibus.
ſolandus, ſolandus cum ſimul ipſe fores. Ouid. 5. Triſt.
conſolandus, Plaut. conſolandus hic mihi eſt.
recordandus, Cic. pro Sylla, Recordanda, & cogitanda.
tuendus, Cic. ad Att. ut me totum tuendum ſuſcipias.
tutandus, Ter. ad tutandam rem.
uerendus, Non igitur uereor, quod non reor eſſe uerendum. Ouid.
ueſcendus, Coctas diſentericis ueſcendas dedêre, Plin.
ulciſcendus, Cic. lib. 12. fam. epiſt. 23.
utendus. Multa rogant utenda dari: data reddere nolunt. Ouid. 1. de arte.
Similia uſus ſuppeditabit.

An uero reliqua participia Deponentia, non etiam paſſiue ſignificant?

Immo, quaedam etiam paſſiue ſignificant: ut, commentus, complexus, conatus, confeſſus, profeſſus, exhortatus, exorſus, expertus, imitatus, largitus, meditatus, menſus, remenſus, mentitus,

tus, pactus, pollicitus, testatus, tutus, & nonnulla alia.

Da exempla.

Commentus: ut, Aut eadem ante aras, commentaq. sacra coegit, id est ficta sacra. Ouid. 1. de arte.

complexus: ut, Quo uno maleficio scelera omnia complexa esse uideantur. Cic. pro Rosc. Amer.

conatus: Perfacile factu esse probat conata perficere, id est, cogitata, & tentata. Caesar 1. Gall.

confessus: ut, confessa res, & manifesta. Cic. 5. Verrin.

dignatus: ut, Coniugio Veneris dignate superbo. Virgil.

professus: ut, solaq. deformem culpa professa facit, id est, reuelata, Ouid.

exhortatus: ut, exhortatus est in conuiuio a scorto, pro admonitus: Cic. de senect. Sic M. Cato, teste Gellio, exercitum cohortatum eduxit foras. libro 15. cap. 13.

exorsus: ut, Sua cuique exorsa laborem, Fortunamq. ferunt. Virg. id est, coepta, & incohata.

expertus: ut Cic. pro Balbo: Huius uirtus praesens experta, atque perspecta. Hinc inexpertus.

largitus: ut Plin. lib. 17. cap. 11. Aut si condicio largita non sit: pro, praestita, siue data. Dilargitis praescriptorum bouis. Sallust. apud Gell.

meditatus: ut, Meditati sunt doli docte. Plaut. in Pseud. Meditata mihi mea sunt omnia incommoda. Terent.

mensus: Spacia mensa, quia conficiunt cursus Lu-

nae, menses uocantur. Cic. 2. de Nat. de. id est, spacia peragrata.
remensus: remenso hortatur pater ire mari, Virg. pro, repetito mari.
mentitus: primi clypeos, mentitaq. tela agnoscunt. Idem. Quae ordine, & ratione uacant, ea mentita, & falsa, plenaq. erroris. Cic. 2. de Nat. deor.
pactus, a paciscor: ut, pactam rem habeto. Plaut. pactae cum hoste induciae. Cic. 1. Offic. pro initae, uel sancitae. Coniux pacta. Ouid.
pollicitus: Exige polliciti debita iura tori, id est, promissi. Ouid. epist. 20. Heroid. Et: pollicitis diues quilibet esse potest. Idem. pro, promissis rebus.
testatus: ut clara, & testata res. Cic. 4. Verr.
tutus: tutus a calore. Cic. 2. de Nat. de. A ui tutus. Liuius 3. ab urb. Vide Vall. lib. 1. cap. 30.

Quid hic notandum?

Ex his, & similibus participiis, conatur probare A Gellius, uerba horum participiorum esse communia; haec ex tam passiuis, quam actiuis significationis. Sed falli Gellium sua opinione, uident omnes eruditi. Nondum enim quisquam ueterum, aut recentium Grammaticorum demonstrauit prolatis exemplis, Latinos dixisse: criminor te, criminor a te: osculor te, osculor a te: uereor te, uereor a te: utor te, utor a te: hortor te, hortor a te: consolor te, consolor a te. Nam quod exempla duo affert Gellius ex Afranio, & Nonio: duobus

obſoletis ſcriptoribus : ſane nihil probat. Conſtat enim ex eodem Gellio, quod ueteres plaeraque deponentia protulerit actiua terminatione. Quid? quod a uerbis neutris itidem deſcendunt participia praeterita, & futura, paſſiuis ſignificationis: ut ſtata tempera : uigilatis ueſtes : aequos arandum : uſum lumen Grammaticorum hucuſque fuit, qui uerba illorum faceret paſſiuum : ut, ſtor, uigilor, aror.

III *Quae ſunt Neutropaſſiua participia?*

Quae a uerbis Neutropaſſiuis, & eorum cognatis trahuntur : ut, uapulans, a uapulo, auſus ab audeo.

III *Quot ueniunt participia a Neutropaſſiuis?*

Participia a fio, ueneo, uapulo, & liceo, non ſunt obuia, neque in frequenti uſu. Si quae tamen inde trahuntur, duo erunt : ut, uapulans, uapulaturus : quemadmodum ſtans, ſtaturus, a ſto : currens, curſurus, a curro.

III *Quot ueniunt ab eorum cognatis?*

Tria plaerumque: ut, coenans, coenatus, coenaturus, a coeno: prandens, pranſus, pranſurus, a prandeo : gaudens, gauiſus, gauiſurus, a gaudeo : diffidens, diffiſus, diffiſurus, a diffido: ſolens, unde inſolens, ſolitus, & ſoliturus. Priſc.

2 Interdum quattuor : ut, audens, auſus, auſurus, & audiendus, ab audeo.

3 Interdũ duo: ut, moerens, moeſtus a moereo.

De

De accidentibus participij. Cap. XIV.

II *Participio quot accidunt?*

Sex. Numerus, Figura, Tempus, Genus, Casus, & Declinatio.

II *Numeri participiorum quot sunt?*

Duo. Singularis, ut amans: Pluralis: ut, amantes.

II *Figurae participiorum quot sunt?*

Duae: Simplex: ut, potens: composita: ut, omnipotens.

II *Tempora participiorum quot sunt?*

Tria. Praesens, Praeteritum, & Futurum.

II *Quae participia sunt praesentis Temporis?*

Quae desinunt in ns: ut, docens, legens, audiens, ferens, uolens, iens.

III *Cuius sunt significationis?*

Vel absolutae: ut, stans. Vel transitiuae: ut, amans: uel deponentis: ut, sequens: uel Neutro passiuae: ut, audens, gaudens: uel communis: ut, criminans, osculans.

III *Quae sunt praeteriti temporis participia?*

Quae desinunt in tus, sus, xus: ut, amatus, uisus, fixus.

III *Cuius sunt significationis?*

1 Vel passiuae: ut, amatus, uisus: quo etiam ab-

ſoluta pertinent: ut, ſtatus, laboratus, uigilatus, iuratus. Nam, & hoc paſſiue ſignificant.

2 Vel Deponentis: ut, loquutus, lapſus, nixus.

3 Vel Neutropaſſiuae: ut, auſus, ſolitus.

4 Vel Communis: ut, oſculatus, criminatus.

IV ***Quo modo paſſiuae ſignificationis praeterita, appellarunt ueteres Grammatici?***

Appellarunt ſupina: eaq. neutro genere extulerunt: ut, amatum, doctum, lectum, auditum, ſpectatum. Nominis huius originem, & cauſſam affert Scalig. in lib. de cauſſis linguae Latinae, c. 144.

IV *Quot ſunt ſupina?*

1 Duo. Prius, quod in um deſinit: & rem gerendam ſignificat, ſed quaſi abſolutam, ut ait Scaliger: ut, ſpectatum ueniunt, id eſt ad ſpectandum, uel ut ſpectent. Coctum ego, non uapulatum ſum conductus. Plaut.

2 Poſterius, quod in u, deſinit littera M a priori detracta, & rem geſtam ſignificat: ut, redeo obſonatu: Plaut. id eſt, poſtquam obſonaui, iam redeo.

Poſtremus cubitum eat: & primus cubitu ſurgat. Cato.

IV ***Quo modo ſupina differunt a praeteritis paſſiuis?***

1 Significatione: quia alterum ex ſupinis, amiſſo praeteriti temporis ſignificatu: denotat rem gerendam: ita tamen: ut iam geri incipiat: ut, eo cubitum.

2 Conſtructione. Nam actiui uerbi conſtructionem imitantur, non paſſiui, a quo ueniunt: ut,

eo ſalutatum amicos. Alias enim imitantur participia uerborum ſuorum, a quibus oriuntur, ſyntaxin: ſicut hoc ſuo loco docebimus.

II *Quae participia ſunt futuri temporis?*

Quae deſinunt in rus, & dus: ut, amaturus, doctu rus, lecturus, auditurus, laturus, eſurus, iturus, futurus. Sic amandus, docendus, legendus, audiendus, ferendus, edendus.

III *Cuius ſignificationis ſunt participia futura in rus?*

Omnia ſunt actiuae ſignificationis. Nam aut actionem abſolutam ſignificant: ut, curſurus, ſtaturus, ſeſſurus: aut tranſitiuam: ut amaturus, lecturus: aut Deponentem: ut ſecuturus, locuturus: aut Neutropaſſiuam: ut uapulaturus, gauiſurus, auſurus: aut communem, hoc eſt, actionem uerbi communis: ut, oſculaturus, criminaturus.

III *Vnde formantur futura in rus?*

A poſteriori ſupino, addendo, rus: ut, coenatum, coenatu, coenaturus.

III *Cuius ſignificationis ſunt participia in dus?*

Omnia ſunt ſignificationis paſſiuae: ſiue trahan tur a uerbis paſſiuis, ut amandus ab amor: ſiue ab abſolutis: ut, uigilandus a uigilo: arandus ab aro: quia aror non eſt in uſu, propter defectum rei: ſiue a deponentibus: ut, ſequendus, loquendus: ſiue a neu tropaſſiuis: ut, audendus, ab audeo: ſiue a communibus: ut, criminandus, a criminor.

III *Vnde formantur?*

A participiis praeſentis temporis: s, in dus mutando:

tando: ut, amans, amandus: legens, legendus: iens, eundus de se format: sic experiens, experiendus, & experiundus: oriens, oriendus, & oriundus.

IV *Quo modo ueteres Grammatici appellarunt participia futuri temporis, posita genere neutro, in dum?*

Appellarunt gerundia: propterea, quod res gerendae istis participijs efferrentur. Vide Scalig. lib. de caus. linguae Latinae. cap. 143.

IV *Quot sunt casus gerundiorum?*

Quattuor. Nominatiuus, Genitiuus, Accusatiuus, & Ablatiuus. Quidam addunt etiam Datiuum: ut, Telum perfodiendo tergori, quo spiculauit ingenio? Plin. lib. 11. cap. 2. Mihi tamen non uidetur, hic esse Gerundium, sed simpliciter participium, cum nomine substantiuo, iunctum, eodem genere, & casu. Qualis est etiam illa constructio: Mos gerendus est patri. Sed de hac re in syntaxi.

IV *Da exempla.*

Nominatiuus: ut seruiendum est tempori: quem admodum dicimus, seruitum est tempori. Numquam enim accusatiuo iunctum inuenies uerbum substantiuum.

Genitiuus: uenio causa uidẽdi te, i. ut te uideam.

Accusatiuus: eo ad speculandum arcem, id est, ut speculer arcem.

Ablatiuus: uidendo amicum exhilaror, id est, dum uideo.

Ardescitq. tuendo, id est, dum intuetur. Reliqua pete ex syntaxi.

Quo

IV *Quo modo differunt gerundia a participijs futuri temporis?*

1 Significatione. Quia Gerundia rem gerendam, ac futuram ita significant, ut aut iam geri, aut incipi actio intelligatur: ut, uritq. uidendo Femina, id est, dum uidetur. Virg. Omnia conando docilis sollertia uincit. Ouid. id est, dum conatur.

2 Constructione. Nam Gerundia imitantur constructionem uerbi actiui, non passiui, a quo descendunt: ut, Gratia salutandi amicos. Ouid. Vtendum est aetate: cito pede labitur aetas. Videndo amicum exhilaror. At participia futura iunguntur substantiuis, eodem genere, & casu: ut, Mos gerendus est patri. Terent. Pax a rege petenda est. Eo ad salutandos amicos. In diripiendis urbibus ualde considerandum est, &c. Cic. 1. Offic. Per gerundium dixisset, In diripiendo urbes.

II *Genera participiorum quot sunt?*

Quattuor. Masculinum: ut, amatus, docturus, legendus. Foemininum: ut, amata, doctura, legenda. Neutrum: ut, amatum, docturum, legendum. Omne: ut, amans, docens, legens, audiens.

II *Casus participiorum quot sunt?*

Sex. Nominatiuus: ut, amatus: Genitiuus: ut, amati: Datiuus: ut, amato: Accusatiuus: ut, amatum: Vocatiuus: ut, amate: Ablatiuus: ut, amato.

II *Declinationes participiorum quot sunt?*

Tres. Prima, secunda, & tertia: plane eaedem, cum prima, secunda, & tertia declinatione Nominum.

Quae

II *Quae participia sunt primae declinationis nominum?*

Quae desinunt in nominatiuo singulari in a: ut, amata, doctura, legenda: amatae, docturae, legēdae.

II *Quae participia sunt secundae declinationis nominum?*

Quae desinunt in nominatiuo singulari in us, & um: ut, amatus, docturus, legendus: amatum, docturum, legendum: Genitiuo amati, docturi, legendi.

II *Quae participia sunt tertiae declinationis nominum?*

Quae desinunt in ns: ut, amans, docens, legens, audiens. Genitiuo, amantis, docentis, legentis, audientis.

IV *Quot modis participia degenerāt in nomina?*

Duobus modis. 1 Amissione temporis: ut, doctus, qui doctrina praeditus est. Notus, quem norunt omnes. Circumspectus, qui uel alios circumspicit; uel, quem alij. Nonnulli haec participia dicunt transire in Nomina, amissione significationis: ut sunt, circumspectus, consideratus, cautus, tutus, falsus, & similia. Nam L. Valla isthaec interpretatur actiue, pro eo, qui circumspicit, considerat, cauet, tuetur, fallit. At Scaliger contra interpretatur passiue, pro eo, qui circumspicitur, tamquam in admiratione positus. Sicut apud Iuuenalem conspectus. Omne animi uitium tanto conspectius in se crimen habet, &c. Idem contendit beatum dici, quem fortuna bearit, & cautum, quem homines caueant, ueluti prudentem: & falsum testamentum:

quia ſcriba ipſum fefellerit: & tutum portum, quem rupes tueantur.

2 Amiſſione conſtructionis natiuae: ut, fugitans litium, patiens inediae, amans pacis, fidens animi.

Poſſunt enim iſthaec etiam comparatiua, & ſuperlatiua fieri: ut, amans, amatior, amantiſſimus. Cic. ad Att. lib. 15. Antonio eſt fortaſſe iratior. Idem 8. Philipp. Caeſar ipſe, qui illis fuerat iratiſſimus. Poſſunt item componi, & aliter quidem, quam uerba, unde deſcendunt: ut, indoctus, inexpertus, inconſideratus, incircumſpectus, incautus, ignotus. Vide Vall. lib. 1. cap. 30.

IV *Quid hic obſeruandum?*

Participia in ns, quando ſubſtantiua fiunt, ſunt; uel generis maſculini: ut hic oriens, occidens, profluens, torrens. Nam ſubintelligitur ſol, & amnis: uel generis foeminini: ut haec continens, haec conſonans. (Subauditur enim terra, & littera) haec animans: quod tamen nomen etiam in neutro genere reperitur, ſed in plurali frequentius. Praegnans, participium ἀδέσποτον. Plinius folia praegnantia dixit. Vel generis neutri: ut accidens, antecedens, conſequens: materialiter ſumpta, uel ad totam orationem relata. Vel generis communis: ut hic & haec adoleſcens: uel generis omnis: ut hic, & haec, & hoc ſapiens. Vide Vall. lib. 1. cap. 33.

NICO-



NICODEMI · FRISCHLINI QVAESTIONVM GRAMMATICARVM LIBER . QVINCTVS

De Etymologia Praepositionum, Aduerbiorum, Coniunctionum, & Interiectionum: itemq. de figuris Etymologiae.



De praepositione, eiusq. speciebus. Cap. I.

III *Quid est praepositio?*

Praepositio, est dictio, uerbo nomen adiungens, tamquam aliquem terminum motus, aut quietis. Scaliger definit esse notam motus, & quietis: ut. Venio a patre. Redeo ad te. Eo in urbem. Sum in urbe.

IV *Unde dicitur praepositio?*

Ab usu: nempe a praeponendo. Vel, quia in compositione semper praeponitur: ut, accurro, accedo. Vel, quia in coniunctione fere praeponi solet dictionibus, quibus additur: ut: Eo ad patrem. Non autem ab essentia sic dicitur: sed ideo praeponitur, quia est praepositio.

III *Quomodo diuiduntur praepositiones?*

Bifariam. Vel quo ad compositionem cum alijs dictionibus: uel secundum significationem.

III *Quotuplices sunt praepositiones, caussa compositionis?*

Duplices. Separabiles, quae extra compositionem aliquid significant: ut, Ad, Ante, A, Ab. Et inseparabiles, quae extra compositionem nihil significant.

II *Quot sunt inseparabiles?*

Quattuor: dis, re, se, & am: ut, distraho, dirumpo, repono, seiungo, amplector, ambigo, anceps. Nam com eandem esse, quae hodie est cum: & di nihil discrepare a dis: quemadmodum nec tra a trans, in uerbo traduco: id suo demonstratur loco.

III *Quotuplices sunt praepositiones, caußa significationis?*

Quincuplices. Aliae enim sunt locales, aliae temporales, aliae caussales, aliae priuatiuae, aliae comitatiuae.

De praepositionibus localibus. Cap. II.

III *Praepositiones locales quotuplices sunt?*

Quincuplices. Quaedam enim significant ad locum, uel quasi ad locum: quaedam de loco, uel quasi de loco: quaedam per locum, uel quasi per locum: quaedam in loco, uel quasi in loco: quaedam & ad locum, & in loco significant. Priscianus quadripartitam uim localem tribuit praepositionibus: ut, Proficiscor ad Graecos. E Sicilia uenio. Venio per forum. In Italia sum.

III *Quae praepositiones significant ad locum, uel quasi ad locum?*

Ad, uersus, aduersus, contra, erga, tenus.

IV *Da exempla.*

Ad: ut, Ad generum Cereris sine caede, & sanguine pauci

Descendunt reges, & sicca morte tyranni. Lucan.

Ad teli iactum peruenire. Caes. id est, ad eum locum, unde tela in hostem iaci possunt.

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:

Nudus ad infernas stulte uehere rates. Proper.

Versus: ut, cum Brundusium uersus ires. Cic. Megaran uersus.

Aduersus: ut, Calcari quadrupedem agitabo aduersus cliuum. Plaut. in Asin.

Contra: ut, Contra stimulum calces me iacta. Prou.

Quid attinet tot ora nauium graui Rostrata duci pondere Contra latrones, atque seruilem manum, Hoc hoc tribuno militum? Horat. Posset etiam, meo arbitrio, non absurde referri haec praepositio intra priuatiuas: cum sit opposita praepositioni erga. Sed iudicent de hac re eruditi.

Erga: ut, Affecti erga amicum sumus eodem modo, quo erga nosmetipsos. Cic. Innuitur terminus, ad quem tendit actio amoris, tamquam ad locum.

Tenus: ut, Est quodam prodire tenus. Id est, aliquo usque. Horat. Capulo tenus abdidit ensem. Virgil. Id est, usque ad capulum. De uoce quatenus, uide Vall. lib. 2. cap. 42.

III *Quae praepositiones huc pertinent?*

Hae quattuor: Cis, citra, tenus, ultra. Nam & hae significant motum ad locum, sed indefinitum: ubi solum intermedius nominatur: ut, Cis Taurum duxit exercitum. eo die Cis Tiberim redeundum est: id est, in locum citeriorem. Non. Citra flumen educit exercitum. Id est, in locum citeriorem. Cic. 6. Philipp.

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum: quoties aliquid de moribus audent
Qui Curios simulant, & Bacchanalia uiuunt.
Iuuen.

IV *Quid hic sciendum?*

Sciendum, ait Priscianus, quod omnia localia possunt eadem esse temporalia: ut: per medium forum: per medium diem. Nec non etiam in alijs rebus:

bus: ut, per uirtutem fio laudabilis. In quo quasi locus laudis ostenditur fuisse uirtus.

IV *Quae nam ex primo genere localium significant tempus?*

Hae tres: Ad, ultra, tenus: ut, Ad horam nonam exspectant in anchoris. Cic. Aqua coquitur ad dimidias. Plin. Id est, ad tempus dimidiae consumtionis. Vltra: ut, ultra pueriles annos. Quinctil. Tenus: ut, Hac tenus, id est: ad hoc usque tempus.

III *Quae praepositiones significant de loco, uel quasi de loco?*

A, ab, abs, de, e, ex.

IV *Da exempla.*

A, ab, abs: ut, A uilla redeo. Terent. Venio ab urbe. Abij abs te. Sic dicuntur a libellis, a manu. Ex eius enim manu proficiscitur actio: ut ait Scalig.

De: ut, De manu in manum trado. De summo loco, summoq. genere adolescens. Plaut. De sinistra parte eruti dentes.

E: ut, E conspectu fugit. E medio abiit. Laborat e renibus. Nam hic innuitur τόπος πεπονθώς. E Dauo audiui: tamquam de loco: unde proficiscitur sermo. Terent.

Ex: ut, Ex Aulide Philocrates. Plaut. Ex te ortum est hoc malum. Terent. Euanuit ex oculis. Euasit ex aqua.

IV *Quid praeterea significant a, de, e, ex?*

Significant etiam tempus, & caussam: ut, a prima aetate; ab incunabulis: ab auo. Victus a Scipione, tamquam a caussa. A nobilitate im-

minet periculum. Vnaq. conspectu liuorem ducit ab una. Iuuen. De media nocte missus equitatus. Caes. Potat de meo. Terent. De te loquor: id est, tui caussa, uel de te, tamquam materia sermonis. Scribo de Grammatica: tamquam de materia. Templum de marmore ponam. Virgil. Fabrefactam e ferro. Grauida e Pamphilo est. Terent. tamquam caussa efficienti. ex pueris excedere: id est, tempus pueritiae deserere. Ex te ortum est hoc malum. Idē. tāquam ex caussa. Ex auctoritate Caesaris feci. Ex fortuna non est ponderanda fides. tamquam ex caussa. Impressa ex anulo imago; tamquam ex caussa instrumentali. Sic Ouid. Leniter, ex merito, quidquid patiere, ferendum est: quae uenit indigne poena, dolenda uenit. id est, propter meritum.

Quando utimur praepositione, a, & quando, ab, aut abs?

A, praepositione utimur, sequenti consonante: ut, A cane non magno saepe tenetur aper.

Ab, utimur, sequente uocali: ut, At non ingenio quaesitum nomen ab aeuo Excidet: ingenio stat sine morte decus. Propert. Saepe tamen additur uocabulis, a liquida, aut i, consona incipientibus: ut, ab legatis, ab nobis domo est. Terent. Ingenium est omnium hominum ab labore procliue ad libidinem. Idem. Tantum ne ab re tua est otij tibi, Aliena ut cures, eaque, quae nihil ad te attinent. idem. Ab Ioue principium. Virgil. Iungitur item cum consonantibus, quae non male sonant: & quibus cum alias in compositione uerborum coniungi

solet:

solet: ut, Da puere ab summo. Plaut. Hoc consilio probato ab ducibus. Liu.

Abs, uero utimur in uoculis, a t, & q, incipientibus: ut, Abs Tito. Abs quiuis homine. Vide Vall. lib. 2. cap. 29. Liu. lib. 1.

III *Quae praepositiones significant per locum, uel quasi per locum?*

Praepositio unica Per: ut, Ardua per praeceps gloria uadit iter. Ouid. Impiger extremos currit mercator ad Indos, Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes. Horat. Per impluuium fucus factus mulieri. Terent. Significatur enim in his medius quidam terminus, per quem actio consequitur finem?

IV *Quid praeterea significat praepositio Per?*

Significat etiam instrumentum, seu caussam, siue medium, per quod finem quemcumque consequitur: nec non & tempus: ut, per desidiam nascitur malitia; tamquam per caussam. Per somnium sensibus & curis uacuus animus. Cic. Per auaritiam aliquid appetimus: tamquam per caussam, uel actionis instrumentum. Per noctem cernuntur sidera. Plin. Per triennium. Cic. 2. Verrin.

III *Quae praepositiones significant in loco, uel quasi in loco?*

Ante, post, extra, inter, intra, infra, supra, cis, circum, circa, prope, iuxta, apud, coram, penes. Significant enim haec aliquid uersari in loco anteriori, posteriori, exteriori, interiori, inferiori, citeriori, superiori, in circuitu, tamquam in loco. Item, in lo-

co propinquo, & coniuncto: denique in loco aperto, & conspicuo, siue ante oculos posito. Atque hinc orta sunt Aduerbia loci: infra, supra, circum, circa, coram.

IV *Da exempla.*

Ante: ut, Isthuc est sapere, non, quod ante pedes modo est, uidere: sed etiam illa, quae futura sunt prospicere. Terent. Ante ora parentum. Virgil.

Post: ut, Repente post tergum equitatus conspicitur. Caes. Tu post carecta latebas. Virg. Haec tibi dictabam post fanum putre Vacunae. Horat.

Extra: ut, Extra uniuersa quid potest esse? Cic. Extra teli iactum. id est, in loco tuto, quo telum adijci non potest.

Inter: ut, Inter homines esse. id est, illic, ubi sunt homines. Inter falcarios esse. id est, illic, ubi sunt falcarii.

Multa cadunt intra calicem, supremaq. labra.

Intra: ut, Intra munitiones constiterunt. Caes.

Conscia mens, ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora, pro merito spemq. metumq. suo. Ouid.

Infra: ut, Infra Saturnum Iouis stella fertur. Cic. Infra lunam nihil est, nisi mortale. Idem. de som. Scip.

Supra: ut, Supra lunam omnia sunt aeterna. Ibid. Cic. Mare, quod supra terram est. Idem.

Cis: ut, Hic primus Cis Anienem, cum rege Veientum secundo proelio conflixit. Liu. Quoad hostis cis Euphratem fuit. Cic.

Circum: ut, Quis circum compita pugnax

Magna

Magna coronari contemnat Olympia? Horat. Capillus circum caput reiectus.

Circa : ut, Illi robur, & aes triplex Circa pectus erat:qui fragilem truci Commisit pelago ratem primus.Horat. Circa forum:circa caprificos: circa ima subsistere. Coelum uoluitur circa terram. Cic. Est enim terra quasi locus,in quo fit localis motus coeli.

Prope: ut, Vbi non solum prope me, sed plane mecum habitares. Liu.lib. 1. Prope montem consedit. Caes. Prope metum est; qui est in loco, metui ualde uicino.

Iuxta: ut, Iuxta Mercurium,Venerem , iuxtaq. Mineruam.id est,loco illis coniuncto.Volat aequora iuxta. Virgil. id est,loco qui mari est coniunctus. Barbari hac praepositione utuntur,tamquam caussali, non locali. Dicunt enim,iuxta sententiam Virgilii,pro,secundum sententiam Virgilii.

Apud:ut, Verecundari neminem apud mensam decet. Plaut. Apud Corfinium castra posuit. Cic.& Caes. Pompeius a me petierat:ut,secum, & apud se essem quotidie. Cic.

Coram: ut, Cantabit uacuus coram latrone uiator. Iuuenal. Coram senatu. id est,in eo loco,ubi senatus erat praesens.

Penes:ut,Me penes est unum Vasti custodia mundi. Id est, in me solo sita est. Vlpianus, penes te, inquit,amplius est, quam apud te. Nam apud te est, quod qualiter qualiter a te tenetur . Penes te est, quod quodammodo a te possidetur . Scaliger soli huic praepositioni significationem quietis attribuit.

Quid

III *Quid praeterea significant hae praepositiones?*

Quaedam ex his significant etiam tempus: ut, ante, post, inter, intra, circa, & prope. Hinc enim nata sunt aduerbia temporis, ante, post, & prope.

IV *Da exempla.*

Ante: ut, Ante Iouem nulli subigebant arua coloni. id est, ante tempora Iouis.

Post: ut, Pascitur in uiuis liuor: post fata quiescit. id est, post tempus, seu diem mortis.

Inter: ut, Inter coenam. Cic. 2. Phil. id est, tempore coenae. Qui inter annos tot unus inuentus sit. Cic. pro leg. Manil. Hinc aduerbium temporis, interea.

Intra: ut, Intra uiginti dies. Plaut. in curcul. Intra decimum diem. Liu. Intra diem mortis: ut, aliquid fiat, si quis dixerit: ipse quoque dies, quo quis mortuus fuerit, numeratur. Vlpian.

Circa: ut, Circa Demetrium. Quinct. id est, circa tempora Demetrii. Circa annum CHRISTI millesimum. Prope, in compositis: ut, propediem: & absolute, sine casu: ut, Prope adest, cum alieno more uiuendum sit tibi. Terent.

III *Quae praepositiones promiscue ad locum, & in loco, uel quasi, significant?*

Hae quattuor: In, sub, super, & subter.

IV *Da exempla significationis ad locum.*

In: ut, Scilicet in uulgus manant exempla regentum: Vtq. ducum lituos, sic mores castra sequuntur. Claudian. Ire in exsulium. Proficisci in urbem.

Sub:

Sub: ut, Ire sub amplexus. Ouid. Sub leges pacis se tradere. Virgil. 4. Aeneid.

Super: ut, Demetrius super terrae tumulum noluit quid statui, nisi Columellam. Cic. de Legib. Sedeo super lapidem, magis significat, quam supra lapidem. Vall. lib. 2. cap. 53.

Subter: ut, Plato cupiditatem subter praecordia locauit. Cic.

IV *Da exempla significationis in loco.*

In: ut, Odimus accipitrem, quia semper uiuit in armis: Et, pauidum solitos in pecus ire, lupos. Ouid. Multum in re militari fortuna potest. Caes.

Sub: Impia sub dulci melle uenena latent. Ouid. Viridi membra sub arbuto stratus. Horat. Vitamq. sub dio, & trepidis agat in rebus. Id. Licet sub paupere tecto, Reges & regum uita praecurrere amicos. Id.

Super: ut, Districtus ensis, cui super impia ceruice pendet, non Siculae dapes Dulcem elaborarunt saporem. Horat. Fronde super uiridi. Virgil. Gemina super arbore sidunt. Idem.

Subter: ut, Ferre libet subter densa testudine casus. Virg. Desilit in campos, qui subter moenia nudos Asseruant manes. Stat. pro, subter moenibus.

IV *Quae nam ex his tempus significant?*

Hae tres: In, sub, & supra: ut, In reliquum tempus. Cic. In proximum senatum differre. Plin. id est, ad tempus proximi senatus. In praesentia. Cic. 1. Verrena. Haec ad te in praesenti scripsi. Id. lib. 2. ad Famil. In faciundo opere. Terent. in Heaut. In senecta.

ɛta. Plaut.in Mil.id eſt,te iam ſene.

Sub:ut,Pompeius ſub noctem naues ſoluit.Caeſ. 1.ciuil. Sub lucis ortum. Liu. Nam cum accuſatiuo fere ſemper tempus ſignificat.

Super:ut,Super coenam loqui. Plin.ep.87.id eſt, tempore coenae. Super uinum,& epulas. Curt.li.8.

IV *Quid ſignificat praeterea ſuper?*

Super etiam exceſſum ſignificat: ut, Erant ſuper mille. Super tres Cyathos.Horat. Super bellum annona premente. Qui quidem ſignificatus, etiam ἀντιμερίαν quandam Aduerbii ſubinfert. Nam, Super, poſitum hic uidetur, pro Pluſquam.

De praepoſitionibus temporalibus, cauſſalibus, priuatiuis, & comitatiuis.

Cap. III.

III *Quae praepoſitiones ſunt temporales?*

Etſi plaeraeq. locales praepoſitiones etiam temporales ſunt:ut docet Priſcianus:tamen ex omnibus praecipue tempus ſignificat praepoſitio circiter: quae etiam abſolutum numerum denotat: ut, circiter meridiem exercitum in caſtra reduxit. Caeſ.li.1. Gall.dies circiter quindecim iter fecerunt.ibid. Multi eo bello capti:circiter duo millia deſiderati.Mons ſuberat circiter mille paſſuum. Caeſ.1.de bel.Gall. Hominũ millib.circiter quindecim.ibi. Poſſet haec praepoſitio, ob hũc ſignificatũ etiã Numeralis dici.

III *Quae ſunt cauſsales praepoſitiones?*

Quae praecipue cauſſam, propter quam aliquid fit,

fit, significant: ut, Pro, prae, ob, propter, secundum.

IV *Da exempla.*

Pro: ut, Pro meo iure dico. Cic. Pueri inter sese, quam pro leuibus noxis iras gerunt? Terent. in Hecy. Ego te pro istis dictis ulciscor. Id. Minime reor esse pro agricola. Columell. id est, e re agricolae.

Prae: ut, Prae amore exclusit illum foras. Terent. Innuitur ridicule caussa exclusionis esse amor. Prae iracundia non sum apud me. Idem.

Ob: ut, Ob delictũ, poenas dii expetũt. Cic. pro Marc.

Propter: ut, Propter te infensi Tyrii. Virg. Id est, tui caussa. Iudices saepe propter inuidiam adimunt diuiti, Aut propter misericordiam addunt pauperi. Terent. in Phorm. Legibus non est propter metum parendum. Cic.

Secundum: ut, Secundum uirtutes tuas te collaudaui. Terent. Virtus enim caussa est, ob quam laudamus. Secundum Platonem. Cic. Plato enim caussa esse innuitur, propter cuius auctoritatem aliquid sit credendum. Et testimoniis doctorum saepe utimur, pro rationibus, & argumentis. Quidam localibus annumerant, eo quod interdum ponatur pro praepositione iuxta, uel prope.

IV *Pro, & prae, quid praeterea significant?*

Pro, significat etiam in loco, uel quasi in loco: ut, Pro ancilla habere. Plaut. id est, loco ancillae, uel, in usum ancillae. Quae significatio etiam caussalis esse potest. Pro uirgine nuptum dari non potest. Terent. Pro socio damnatus est. Cic. pro Flacc. id est, loco socii. Pro certo affirmare. id

est,

eſt, loco rei certae. Praepoſitionis huius uarietatem explicat Gellius lib.2.cap.17. & lib.11.cap.3. & 10. Prae uero etiam comparationem denotat: ut, Qui omnia ſibi poſtputarit eſſe, prae meo incommodo. Terent.

III *Quae ſunt priuatiuae praepoſitiones?*

Quae negatiuam quandam ſignificationem habent: ut, praeter, abſque, ſine, clam. Nam haec priuatiue opponuntur praepoſitionibus, ſecundum, cum, & coram. Quod enim fit praeter naturam, id non fit ſecundum naturam: & quod fit ſine me, id non fit meum; & quod geritur clam patre, id non geritur coram patre. Priſcian. lib.14.

Da exempla.

Praeter: ut, Nam multa praeter ſpem ſcio multis bona eueniſſe. Plaut. Praeter aequum, & bonum nimium es durus. Terent. Qui omnes, praeter eum, de quo per te egimus, reum me facere rentur. Cic. Praeter aetatem ſtultus es. Interdum totum id, quod ſequitur, excludit: ut, praeterpropter uitam uiuitur. id eſt: Ita uiuitur: ut propter quiduis potius uiuatur, quam propter uitam. Secus, quam exponit Agellius lib.19.cap.10. Sic Varro: Praeter, ſi aliter nequeas.

Abſque: ut, Abſque te fuiſſem, hodie numquam uiuerem. Plaut. Id eſt, ſi tu mecum non fuiſſes.

Sine: ut, Otia ſi tollas: periere Cupidinis arcus:
Contemtaeq. iacent, & ſine luce faces. Ouid.
Sine cortice nabis. Horat. Sine auro ornata mulier. Plaut. Negatur hic cauſſa ornatus eſſe aurum.

Clam:

Clam: ut, Clam me fecit. Id eſt, me non praeſente, uel conſcio.

III *Quae ſunt praepoſitiones comitatiuae?*

Quae comitatum ſignificant, & quaſi terminum comitantem alios, in actione: ut, Cum: ut,

—— Vigilare decet hominem,
Qui uult ſua tempori conficere officia.
Nam, qui dormiũt libenter, ſine lucro, & cum malo
Quieſcunt. Plaut. Abiit cum diluculo: quaſi comite, non autem cauſſa, uel inſtrumento abitionis.

Cum labore ſcripſit: quaſi quodam ſcriptionis ſocio, non autem cauſſa, uel inſtrumento. Qui enim ſcribit, is manu, tamquam inſtrumento, ſcribit. Ideoq. cauſſam, uel inſtrumentum motus, & quietis ſignificantes hac praepoſitione non utimur. Valla lib. 2. cap. 6.

De ſpecie praepoſitionum.
Cap. IV.

II *Quot accidunt praepoſitioni.*

Tria. Species: Figura: & Ordo.

II *Species praepoſitionum quot ſunt?*

Duae. Primitiua: ut, Ad, apud, cis, trans, iuxta, erga, ob, penes, a, e, de, ſub, clam, coram, tenus.

Deriuatiua: ut, ante, citra, ultra, extra, inter, intra, circum, circa, circiter, in, infra, ſuper, ſupra, per, pro, prope, propter, prae, praeter, poſt,

ſecundum,

ſecundum, uerſus, ab, abs, cum, ex, ſine, ſubter, dis, re, ſe, am.

III *Vnde deriuantur?*

Vel ab antiquis nominibus: citer, ulter, exter, infer, ſuper, poſter: pro quibus nunc dicimus, inferus, ſuperus, poſterus. Nam & ſecundum uenit a Nomine ſecundus: & circum, circa, circiter, a Nomine circus.

Vel a uerbis: ut, Sine, uerſus.

Vel ab aduerbiis: ut, Re, a retro: ſe a ſeorſim.

Vel a ſeipſis: ut, A pro, prope, & propter: a prae, praeter: a praepoſitione, ab, abs: a ſub, ſuper, & ſubter: a ſuper, ſupra: a com, uel cum, contra. Cic. in Orat. a, & ab, indicat eſſe factas ex abs. Sic etiam a Cis uenit citra: ab ex, extra: ab in, inter, & intra: a ſine, ſe: ut, ſecurus, id eſt, ſine cura.

Vel a praepoſitionibus Graecis: ut, ἀντὶ, ἀπὸ, περὶ, ἀμφὶ, ἐν, ἐξ, πρὸ, ξὺν: ante, ab, per, am, in, ex, pro, com. Item ab Aduerbiis Graecis: ut, a πρὶ, uel πρὶν, prae: a δὶς, dis. Eſt enim diſiicere, in duas partes iacere: ſicut amputare, ἀμφὶ utrimque putare.

De Figura praepoſitionum.
Cap. V.

II *Quot ſunt figurae praepoſitionum?*

Duae. Simplex: ut, Abs, uerſus, circum. Compoſita: ut, Abſque, aduerſus, circumcirca, quoquouerſus, exaduerſum.

Omnes ne praepositiones, cum alijs dictionibus componi possunt?

Non omnes: sed solum genuinae: ut sunt, ad, ante, post, inter, cis, circum, contra, ob, per, a, ab, abs, de, e, ex, pro, prae, praeter, cum, in, sub, super, & subter. Nam reliqua magis aduerbiis, quam praepositionibus adnumerandae uidentur: uidelicet hae: apud, uersus, aduersus, citra, ultra, extra, intra, circa, circiter, erga, infra, supra, iuxta, penes, secundum, clam, coram, absque, sine, tenus. Equidem pone, & palam esse aduerbia, nemini docto est dubium.

Quare istas praepositiones nonnulli referunt inter aduerbia?

Primo, quia certae sunt, ac definitae significationis, ita, ut plaeraque etiam per se, & absolute poni possint, in oratione, sine casu. Hoc autem in praepositionibus, per se positis, esse Grammatici negant. Deinde, componi non possunt cum aliis dictionibus: praeter extra, in una uoce extraordinarius: cum tamen omnes genuinae praepositiones, etiam apud Graecos, talem naturam sortitae sint: ut & componi, & rursum separari queant. Clam magis esse Aduerbium, quam Praepositionem, Priscianus ex eo demonstrat: quod nec localem habent significationem: quam tamen plaerumque possident Praepositiones: & quod qualitatem demonstret: quae in Aduerbiis inueniri solet: & quod deminuatur: dicimus enim clanculum: quod nulla habet Praepositio: denique quod etiam absque casu proferri possit.

Poſtremo haec omnia apud Graecos ſunt Aduerbia: ut ἐναντίον, πέραν, ἐπίταδε, πέριξ, περίπου, ἐκτὸς, ἔξω, ἐντὸς, μεταξυ, κάτω, ἄνω, ἐγγὺς, ὀπίσω, ἔμπρόσθεν, λάθρα, ἄντικρυς, ἐνώπιον, χωρὶς, ἄχρις, μέχρι. Quae etiam cum Genitiuo caſu conſtruuntur plaeraque: ſicut haec noſtra, cum Accuſatiuo, & ablatiuo: & quaedam ex noſtris, etiam cum Genitiuo, morem ſecuta Graecorum: ut, crurum tenus. Habent enim ſuos etiam caſus, Latinorum aduerbia: ut, interea loci: pridie huius diei: nuſquam gentium.

IV *Quot modis praepoſitiones fiunt aduerbia.*

Duobus. Compoſitione: ut, circumcirca, exaduerſum, quoquouerſum, propalam. Amiſſione caſus: ut, adeo uenuſta: ut nihil ſupra. Terent. Coram, quem quaeritis, aſſum. Virgil. Clam ferro incautum ſuperat. Ibid.

Quot ſunt obſeruanda in compoſitione praepoſitionum cum aliȷs dictionibus?

Nouem regulae.

Dic primam.

Praepoſitionum ad, ob, & ſub, ultimae litterae in compoſitione, mutantur plaerumque in primam ſequentis dictionis conſonantem: ut, curro, accurro, occurro, ſuccurro: fero, affero, offero, ſuffero: gero, aggero, oggero, ſuggero: luo, alluo: noto, annoto: pono, appono, oppono, ſuppono: rapio, arripio, ſurripio: ſumo, aſſumo: ſentio, aſſentior: tero, attero. Ideoq. malim aſſum dicere, quam adſum, uel Plauti nixus teſtimonio.

Quae

Quae excipiuntur?

1 Ad, sequente b, m, i, & u, consonante, retinet d: ut, adbibo, admitto, adiuro, adueho; sequente n, mutat d, interdum in G: ut, agnosco, agnatus: sequente q, mutat d, in c: ut, acquiro, acquiesco: sequentibus uero duabus, pluribus ue consonis, elidit d, euphoniae caussa: ut, ascisco, ascribo, astipulor, astringo, astupeo.

2 Ob, & sub, sequente d, l, m, n, r, s, t, i, & u, consonantibus: ultimam litteram retinent: ut, obduco, subduco: oblino, subleuo: obmutesco, submitto: obnubo, subnitor: obruo, subruo: obstruo, subscribo: obtempero, subtendo: obijcio, subiicio: obuenio, subuenio.

Quid hic notandum?

1 Sub ante r, alias b, retinet, alias mutat: ut, subrepo, surripio: subruo, surrogo: subrubeo, surrigo.

2 In quibusdam mutatur b, in s: ut, suscipio, suscito, sustineo, sustollo, suspendo: nisi quis dicat esse uerba composita, cum antiquo aduerbio, sus: pro, sursum. Nam sus, de, se, re, antiquis erant Aduerbia, pro, sursum, deorsum, seorsum, retrorsum.

3 In uerbis omitto, suspiro, suspicio, b, elisum uidetur, pro obmitto, subspiro, subspicio: nisi & haec ex Aduerbio sus dicamus esse composita.

Dic secundam regulam.

Praepositio ab, differentiae caussa, b retinet, ante quemcumque consonantem, cui in compositione iungitur: ut, abduco, abiicio, abluo, abnego, abripio, absumo.

Quid excipitur?

Ab, ante f, mutat b, in u: ut aufero, aufugio: praeterquam in uocibus abfore, & absuturus.

Dic tertiam regulam.

Praepositiones, quae R, finiunt: ultimam litteram in compositione retinent, quacumque consona sequente: ut, interbibo, intercedo, interdico, interficio, intergero, interiaceo, interloquor, intermico, interneco, interpello, interquiesco, interrogo, intersum, intertexo, interuenio: perbreuis, percommodus, perduellis, perfugium, pergratus, periucundus, perlongus, permagnus, pernox, perpendiculum, perquam, perridicule, persaepe, pertenuis, peruersus. subterduco, subterfugio, subterlabor, subtermeo. superbibo, supercido, superduco, superfero, supergredior, superiicio, superlino, supermico, supernato, superpono, superrodo, supersedeo, superuacuus.

Quid excipitur?

Excipe, intelligo, pellego (alii perlego malunt) pellicio, pellex, pellucidus, pelluceo, quamquam non desunt, qui malunt perluceo, & perlucidus: peiero, r abiicit.

Dic quartam regulam.

Am, cum, antique Com, & circum: sequente b, m, p: in compositione retinent m: sed In, praepositio, mutat n, in m: sequentibus b, m, p: ut, ambeo, amburo, amplector, combibo, committo, comprimis, circumuenio, circumplico: imbuo, immitto, impono. In ceteris, am, com, & circum,

circum, mutant m, in n: ſed in retinet n: ut, Anceps, anfractus, anquiro, anſanctus, anſegetes, antermini: concido, conduco, confero, congredior, coniungo, connoto, conquiro, conſcribo, contero, conueho: circuncido, circunduco, circunfero, circunglobo, circuniicio, circunlino, circunroto, circunſto, circuntono, circunuenio: incido, induco, infero, ingero, iniungo, innuo, inquiro, inſero, inſcribo, intero, inueho.

Quae excipiuntur?

Com, & in: in compoſitione ante l, & r, mutant ultimas in l, & r: ut collaudo, corrodo: illudo, irrogo.

Ante n, in quibuſdam tranſeunt in G: ut, cognoſco, ignoſco. At circum retinet m, ante n: ut, circumnauigo, circumnecto: ſicut aliquibus placet.

Dic quinctam regulam.

1 Am, ſequenti uocali aſſumit b: ut, ambigo, ambeo, amburo: ſequenti h, mutat m, in n: ut, halo, anhelo.

2 Com, uero ſequenti uocali, aut h, abiicit m: ut, Coaleſco, cogo, pro, coago: coeo, coinquino, coorior, cohibeo, cohortor.

3 Circum, ante i, uocalem abicit m: ante alias uocales retinet: ut, circumago, circumeo, circumobruo: circuis, circuit.

4 In, ante uocalem, in quibuſdam aſciſcit d: ut, egeo, indigeo: ago, indago: apiſcor, indipiſcor.

Dic sextam regulam.

Trans in compositione ante d, i consonam, & n: amittit suas ultimas consonantes: ut, trado, traduco: traiicio, trano: praeterquam in transiungo, & transnauigo ante alias consonantes retinet suas ultimas: ut, transcurro, transfero, transgredior, translabor, transmitto, transpono, transueho.

2 Eadem praepositio si accedat ad litteram s, eampse absorbet: ut, transcribo, transcendo, transumo.

Dic septimam regulam.

Dic praepositio inseparabilis ultimam consonantem retinet, sequente c, i consona, p, q, s, & t: ut, discutio, disiicio, disputo, disquiro, dissimulo, disturbo, distraho. Excipe, diiudico. Eadem sequente f, mutat s, in f: ut, differo, diffundo: sequente, d, g, l, m, n, r, & u, consona abiicit s: ut, diduco, digero, diluo, diminuo, dinumero, diruo, dirumpo (quamquam etiam disrumpo dicimus) diuerto, diuexo. Apparet haec uarietas in uno uerbo, differo: cuius praeteritum est distuli: supina dilatum, dilatu.

Dic octauam regulam.

Re, praepositio sequenti uocali, aut h, assumit d, Euphoniae gratia: ut, Redarguo, redeo, redimo, redhibeo, redoleo.

Dic nonam regulam.

Praepositione, Ex, utimur in compositione: cum nomen, aut uerbum incipit a uocali, aut a c, p, q, t, consonantibus: ut, exaro, exeo, exiui, exhibeo, exoro, exuro, excito, exprobro, exquiro, extero. Eadem si

accedit

accedit ad f, mutat x, in f: ſin ad s, abſorbet idipſum: ut, fugio, effugio: fero, effero: ſcribo, exſcribo: ſpecto, exſpecto. Nam eiuſmodi conſonantes aſperiores in commiſſura uerborum rixantur: ut ait Quinctil. lib. 9. cap. 4.

2 In ceteris utimur praepoſitione e: ut, ebibo, educo, egero, eiicio, eluo, emineo, enato, epoto, eripio, eueho.

IV *Retinent ne ſuam ſignificationem praepoſitiones in compoſitione?*

Plaeraeque retinent: ut, pellucidus, perfluo: Medium enim terminum ſignificant. Perdoctus, perelegans, finem, & ultimum terminum. Interdum mutant, & priuationem ſignificant: ut, perfidus, periurus, indoctus, iniuſtus, eneruus, expes, exlex, ſubiratus: id eſt, parum iratus, ſubruſticus. Sed haec, & alia docebit uſus.

De ordine praepoſitionum. Cap. VI.

Quotuplex eſt ordo praepoſitionum?

Triplex. Praepoſitiuus, Poſtpoſitiuus, & Communis. Quaedam enim praepoſitiones ſemper praeponuntur: ut, ad, ante, apud, a, ab, abs, de. Quaedam ſemper poſtponuntur: ut, tenus, uerſus. Quaedam nunc praeponuntur, nunc poſtponuntur: ut, cum, penes, aduerſum, circum, iuxta, coram. Nam mecum, ſecum, tecum, nobiſcum, uobiſcum,

quibus cum: sunt binae dictiones, licet quibusdam compositae esse uideantur. Priscian. Sicut, & ea tenus, hac tenus, qua tenus, quodam tenus, capulo tenus, ore tenus, me penes. Prisci enim omnes praepositiones in extremis syllabis acuebant, more Graeco. Easdem uero, si postponerentur, deprimebant, & accentum in paenultimam, uel ultimam praecedentis uoculae reiiciebãt, itidem Graeco more. Nam, sicut Graeci dicunt περὶ μάχης, & μάχης περὶ: sic Latini dicebant, penes Caesarem: & Caesarem penes: tenus ea, ea tenus: cum me, mecum. Cic. ad Brutum. Ea cum in Capitolium sum deductus: pro, cum ea.

IV *Quid hic notandum?*

Praepositiuae praepositiones interdum suo casui postponuntur: quae figura a Graecis uocatur Anastrophe: ut, Italiam contra, pro, contra Italiam.

2 Interdum neque praeponũtur, neque postponuntur praepositiones, sed elegantiae caussa inter duo nomina interponuntur: ut, Quam ob rem: eam ob rem: qua de re: graui de caussa: uirtutem propter imperatoris: aliquot post menses.

De aduerbio, eiusq. speciebus.
Cap. VII.

III *Quid est Aduerbium?*

Aduerbium est uox, Nomini, & uerbo qualitatem adiungens, quae aliquam facti circumstan-

tiam significat: ut, Qui non est hodie, cras minus aptus erit. Nam hodie significat tempus, non propter modum significandi, tamquam esset compos temporis: sed propter ipsam significationem, quasi quidam assecla sit temporis. Modus enim significat actionem cum tempore: ut, Cum dico, amaui: non autem ipsum tempus significat: ut, cum dico: heri amaui.

IV *Vnde dicitur aduerbium?*

Aduerbium a principaliori uoce dictum est, nempe a uerbo: cui frequentius additur, quam ceteris dictionibus. Sicut etiam a Graecis, eadem ratione dictum est ἐπίῤῥημα.

III *Quotuplicia sunt aduerbia?*

Multiplicia sunt: sed omnia tamen ad tredecim genera, seu species referri possunt. Vel enim significant quantitatem, siue mensuram; uel numerum, uel tempus, uel locum, uel qualitatem, uel incrementum, seu intensionem, uel decrementum, seu remissionem, uel comparationem, uel similitudinem, uel affirmationem, uel negationem, uel dubitationem, uel interrogationem.

III *Da Aduerbia quantitatis, siue mensurae.*

Longe, late, alte, crasse, profunde, dense.

III *Da aduerbia numeri.*

Semel, bis, ter, quatter, quinquies, usque ad millies. primum, iterum, tertium, quartum, &c. quae etiam tempus consignificant. Referri huc possunt, &

ista:

ista: turmatim, cateruatim, pariter, collectim, bipartito, bifariam, & similia, orta a nominibus numerabilibus, & significantia qualitatem numeri.

II *Da aduerbia temporis.*

Modo, iam, nunc, hodie, heri, pridie, nudiustertius, nudiusquartus, nuper, dudum, pridem, nondum, mane, sero, uesperi, diu, interdiu, noctu, tempori, cras, postridie, perendie, deinde, deinceps, postea, primum, postremum, extremum, antehac, posthac, alias, aliquando, olim, nuper, continuo, statim, ac dudum, confestim, protenus, illico, illicet, extemplo, cito, mox, subito, repente, ocyus, raro, saepe, semper, interdum, assidue, cum, tum, dum, postquam, usque, umquam, numquam, aliquantisper, paullisper, tantisper, quantisper, donec, quoad, pro quamdiu: de quo uide A. Gell. lib. 7. cap. 21.

Omnes, cum secundae res sunt maxume, tum maxume Meditari secum oportet, quo pacto aduersam aerumnam ferant. Terent.

IV *Quotuplicia sunt aduerbia temporis?*

Duplicia. Vel enim significant tempus definitum: ut, hodie, heri, cras, pridie, perendie, mane, uesperi, statim, assiduo, semper, paullisper. Vel indefinitum tempus significant: ut, dudum, pridem, aliquando, olim, umquam, interdum, numquam.

IV *Quotuplicia sunt, quae tempus definitum significant?*

Triplicia. Vel enim significant tempus Praesens: ut, hodie, iam, nunc, modo. Vel tempus Praeteritum: ut, heri, pridie, nudiustertius. Vel Futurum:

rum: ut, cras, poſtridie, deinde, poſtea. Quaedam etiam ſignificant qualitatem temporis: ut, opportune, tempeſtiue, tempori, commodum.

III *Da aduerbia loci.*

Hic, huc, hac, hinc, foris, intus, intro, ultro, citro, uſquam, nuſquam, uſque, &c.

IV ***Quotuplicia ſunt aduerbia, quae certum locum denotant?***

Quincuplicia. Vel enim ſignificant in loco: ut, hic, illic, iſthic, ibi, ubique, ubiuis, foris, intus, ſupra, infra, ſubtus, intra, extra, intrinſecus, extrinſecus, ultra, citra. Vel ſignificant ad locum: ut, huc, illuc, iſtuc, illo, eo, eodem, intro, ultro, citro, retro, foras. Valla lib. 2. cap. 57. Vel per locum: ut, hac, illac, iſthac. Vel de loco: ut, hinc, illinc, iſthinc, inde, diuinitus, humanitus, coelitus, radicitus, ſtirpitus, funditus, penitus, inferne, ſuperne. Vel uerſus locum ſignificant: ut, horſum, illorſum, iſtorſum, introrſum, retrorſum, rurſum, prorſum, ſeorſum, ſurſum, leuorſum, dextrorſum, peſſum. Quaedam promiſcue ſignificant: ut, peregre abſum: peregre abeo: peregre redeo.

IV *Quid hic obſeruandum?*

Deriuata a pronominibus, naturam ſuorum primitiuorum imitantur. Nam ad primam perſonam referuntur, hic, huc, hac, hinc: ubi ego ſum: ad ſecundam, iſtic, iſthuc, iſtac, iſthinc: ubi tu es: ad tertiam, illic, illuc, illac, illinc: ubi ille eſt.

III *Da aduerbia qualitatis.*

Bene, male, pulcre, candide, fortiter, audacter, uehe-

uehementer, meticulose, sapienter, docte, facile, difficulter, temere, consulto, forte, fortuito, ultro, citro, sponte.

IV *Quotuplicia sunt Aduerbia qualitatis?*

Duplicia. Vel enim significant absolutam qualitatem: ut, bene, male, docte, candide. Vel significãt relatam qualitatem: ut Numeri, ut Temporis, ut Loci: de quibus obiter monuimus, & multo accuratius in Dialecticis tradimus.

III *Da aduerbia incrementis, seu intensionis.*

Multum, adeo, usqueadeo, admodum, ualde, omnino, prorsum, perquam, nimis, nimium, magnopere, impense, impendio, apprime, sat, satis, affatim, abunde, longe, maxime, plurimum: & id genus alia, orta a superlatiuis nominibus aduerbia.

III *Da aduerbia decrementi, seu remissionis.*

Parum, parumper, modicum, minimum, paullo, paullulum, paullatim, longiuscule, belle, meliuscule, sensim, pedetentim, uix, aegre, prope, fere, ferme, pene, propemodum.

IV *Quid hic obseruandum?*

Incrementum, & decremẽtum in plaerisque aduerbiorum significatibus locum habet. Nam & numerus, & tempus, & locus, & qualitas patiuntur excessum, atque defectum. Sed de hac re suo loco.

III *Da aduerbia comparationis.*

Magis, minus, tam, quam, tamquam, ac, acque, aeque, perinde, aliter, secus, hoc, eo, quo, tanto, quanto, multo, tantisper, quantisper, cum, tum. Nam,

cum,

cum, quiddam minus ſignificat: tum quiddam maius. Vall. lib. 2. cap. 22.

IV *Quae huc pertinent?*

Comparationem & haec ſignificant, inuicem, uiciſſim, mutuo, contra, nedum. Item haec: tantum, ſolum dumtaxat; quae tamen magis uidentur eſſe coniunctiones, quam aduerbia.

III *Da aduerbia ſimilitudinis.*

Vt, uti, uelut, ueluti, ſic, ſicuti, ſicut, quemadmodum, ita, item, itidem, quaſi, ceu: poeticum magis, quam oratorium aduerbium.

Vt paene extinctum cinerem, ſi ſulfure tangas,
Viuet: & ex minimo maximus ignis erit:
Sic, niſi uitaris, quicquid reuocabit amorem,
Flamma redardeſcet, quae modo nulla fuit. Oui.

IV *Quae eſt differentia inter ſicut & tamquam?*

Sicut, Aduerbium eſt ſimilitudinis. Tamquam, aduerbium comparationis; contra quam ſentit Valla. Nam cum dico: Tu iraſceris, ſicut leo; ſimilitudo eſt. Ita enim reſolui debet oratio; tum ſic iraſceris, ut leo. At cum dico: tu iraſceris, tamquam leo; comparatio eſt. Ita enim reſoluo: tu tam iraſceris, quam leo. Non autem, ut Valla reſoluit: tu iraſceris, tamquam leo eſſes. Sic: Ego uenio ad te, tamquam ad heroem. id eſt: ego tam ad te uenio, quam ad heroem.

IV *Quid praeterea ſignificat, Vt Aduerbium?*

Significat poſtquam tempus: ut apud Virgil. Vt

uidi:

uidi: ut perii: pro, postquam uidi: deinde etiam interrogationem infinitam, seu qualitatem: ut,

Cernis, ut ignauum corrumpant otia corpus:

Vt capiant uitium, ni moueantur, aquae.

pro, quomodo.

III *Da aduerbia affirmationis.*

Nae, certe, nimirum, profecto, uidelicet, scilicet, immo, etiam, uere, sane. Reliqua ad coniunctiones pertinent.

III *Da aduerbia negationis.*

Haud siue haut: non, nec, neque, nequaquam, neutiquam, minime, hautquaquam.

III *Quid huc pertinet?*

Ne prohibendi particula: ut, Ne crede: ne saeui: quae etiam infinite cum subiunctiuo ponitur: ut, monui, ne faceres.

III *Da aduerbia dubitationis.*

Forsan, forsitan, forte, fortasse, fortassis. Quae uoculae magis Interiectionibus, quam Aduerbiis, uidentur annumerandae.

III *Da aduerbia interrogationis.*

Num, numquid, an, annon, anne, nonne, cur, quare, quo modo, ubi, quo, qua, quorsum, quando, quamdiu, quoties. &c.

IV *Quotuplicia sunt aduerbia interrogatiua?*

Sextuplicia. Vel enim quaerunt de Numero: ut, quoties. Vel de tempore: ut, quando, quamdiu, quamdudum, quousque. Vel de loco: ut, ubi, quo, quousque, unde, qua, quorsum. Martial.

Dic mihi cras istud, Postume, quando uenit?

Vel de facto: ut, num, an, ne encliticum, anne, utrum, nonne, numquid. Eloquar? an sileam? Virg. An nescis longas regibus esse manus?
Vel de qualitate facti: ut, quomodo. uel, de caussa facti: ut, Cur, quare, quid, pro cur, quamobrem.

IV *Quid hic obseruandum?*

Ex Interrogatiuis plaeraque etiam absolute, seu infinite ponuntur: ut, O quater, &, quoties non est numerare, beatum. Ouid. Ex his litteris, quas Atticus ad te missas mihi legit, quid ageres, & ubi esses cognoui: quando autem te uisuri essemus, nihil sane ex iisdem potui suspicari. Cic,
Vtrum stultitia facere ego hunc, an malitia
Dicam: scientem, an imprudentem, incertus sum. Terēt. Quaeritur Aegystus quare sit factus adulter:
In promtu caussa est, desidiosus erat. Ouid.

De accidentibus aduerbiorum. Cap. IIX.

II *Aduerbio quot accidunt?*

Duo. Species, & Figura.

II *Quot sunt species aduerbiorum?*

Duae. Primitiuae: ut, Cras, heri, iamnunc, ubi, ibi.

Deriuatiua: ut, Hodie, pridie, sapienter, libere.

III *Vnde deriuantur aduerbia?*

1 A nominibus absolutis: ut, Celeriter, pulcre, docte, recte, fortiter, feliciter, facile, parum, multum,

tum,nimium,male,bene, nuper, pro nupere: a nominibus celer,pulcer,doctus,rectus, fortis, felix, facilis, paruus, multus, nimius,malus, bonus, nuperus.

2 A nominibus comparatiuis: ut celerius, pulcrius,doctius,rectius, fortius, felicius, facilius, minus,magis,plus, prius,melius: a nominibus comparatiuis neutri generis,celerius, doctius, rectius,&c.

3 A uominibus superlatiuis: ut celerrime, pulcerrime, doctissime, rectissime, fortissime, felicissime, facillime, minime, maxime, plurimum, pessime, optime, nuperrime: a nominibus snperlatiuis celerrimus,pulcerrimus,doctissimus,&c. uel eorundem neutris.

4 A pronominibus: ut, hic, illic, isthic: eo, quo.

5 A uerbis: ut, fere, pone,statim.

6 A participiis: ut negligens,negligenter; diligens,diligenter.

7 A praepositionibus: ut,intro,ultro, citro.

IV *Quomodo desinunt aduerbia orta a nominibus absolutis?*

Desinunt in E, O, & Er, plaeraque omnia.

IV *Quae desinunt in E, & O?*

Orta a nomine absoluto trium terminationum: ut,docte,pulcre,bene, male,candide: a doctus, pulcer,bonus,malus,candidus. raro,crebro,multo,tanto,quanto: a rarus,creber,multus,tantus,quantus. Nauus nauiter facit.

Quae

IV *Quae desinunt in er?*

Deriuata a nomine absoluto duarum, aut unius terminationis: ut, fortiter, celeriter, similiter, feliciter, prudenter: a fortis, celer, similis, felix, & prudens.

Facilis, facile; difficilis, difficulter facit.

IV *Quo modo desinunt aduerbia orta a comparatiuis, & superlatiuis?*

Orta a comparatiuis omnia desinunt in us, praeter magis. Orta a superlatiuis exeunt in e, uel um: ut, minime, & minimum.

II *Quot sunt figurae aduerbiorum?*

Duae. Simplex: ut, diu: Composita: ut, interdiu.

III *Cum quibus dictionibus componuntur aduerbia?*

1 Cum Pronomine: ut, interea.

2 Cum Verbo: ut, ubilibet, ubiuis.

3 Cum Praepositionibus: ut, perdiu, interdiu, inibi, insimul, perinde.

4 Cum Coniunctionibus: ut, ubique, ubicumque.

De Coniunctione, eiusq. speciebus.
Cap. IX.

III *Quid est Coniunctio?*

Coniunctio est uox, quae duas plures ue orationes inter se coniungit, siue actu, siue potestate: ut, Nox & amor, uinũq. nihil moderabile suadẽt. Ouid.

Aut prodesse uolunt, aut delectare poetae:
Aut simul,& iucunda,& idonea dicere uitae.Horat.

Cum enim dico: Caesar pugnat, Caesar scribit: duae sunt orationes: quae per coniunctionem fiunt una oratio potestate:ut,Caesar scribit,& pugnat.

IV *Vnde dicta est coniunctio?*

A coniungo: quia sequentia uerba cum praecedentibus, & sequentem orationem cum antecedente coniungit,atque connectit.

III *Quotuplices sunt coniunctiones?*

Octuplices. Nam quaedam sunt copulatiuae, seu connexiuae, quaedam disiunctiuae: aliae concessiuae, seu approbatiuae,aliae aduersatiuae:nonnullae caussales, nonnullae condicionales: quaedam continuatiuae,seu ordinis,quaedam conclusiuae,seu rationales.

III *Da coniunctiones copulatiuas.*

Et,ac,acque,seu,atque (ut scribit Agellius) que, encliticum,quoque,etiam.

Quare dicuntur copulatiuae?

Quia copulant tam uerba,quam sensum. Linac.

III *Da disiunctiuas.*

Vel,aut,ue encliticum,siue,seu,nec, neque. De quibus lege Vallam lib.2.cap.17.

IV *Quare dicuntur disiunctiuae?*

Quia uerba quidem coniungunt, res autem ipsas disiungunt.

III *Da concessiuas,seu approbatiuas.*

Quidem,equidem,sane,etsi,quamquam,quamuis,licet,tametsi:ut,pro quamuis.

Quare

IV *Quare dicuntur concessiuae?*

Quia in oratione aliquid concedunt, & approbant: cui posterior sententia quodammodo aduersatur: ut, Etsi uera dixisti, tamen malo animo dixisti. Vt desint uires, tamen est laudanda uoluntas. Ouid. Vt sit magna, tamen certe lenta ira deorum est. Iuuen. Vide Vall.lib.2.cap.23.& 21.

III *Da aduersatiuas.*

Sed, at, ast: Coniunctio poetica: atqui, uerum, uero, autem, tamen, uerumtamen, attamen, ceterum, porro. Vall.lib.2.cap.24.

IV *Quare dicuntur aduersatiuae?*

Quia diuersam sententiam inferunt: quae superiori aduersatur: ut, uicisti quidem, sed dolo. Quamquam es diues, tamen es auarus.

Turpe quidem dictu, sed, si modo uera fatemur
Vulgus amicitias utilitate probat. Ouid.

III *Da caussales.*

Nam, namque, enim, etenim, atenim, sedenim, enimuero, quia, quoniam, quod, propterea, cum, postquam, ut, quo pro, ut, utique, ne, quin, siquidem, quando, quandoquidem, pro quoniam. De quin, eiusq. uarietate, lege etiam A. Gellium lib.17.c.13. Accuratius perpendenti, quod relatiuum pronomen uidebitur.

IV *Quare dicuntur caußales?*

Quia caussam, & rationem praecedentis sententiae reddunt.

III *Quae nam aliae huc pertinent?*

Completiuae aliis dictae: ut, quippe, nempe, ni-

mirum,utpote,uidelicet, ſcilicet, nam encliticum: ut,prouтpote. Vall. lib.2. cap.27. Nam uſus pleniorem,atque uberiorem ſententiam reddunt.

III *Da condicionales.*

Si,niſi,ni,quatenus,ſin,modo,ſaltem, dumtaxat, ſiquidem,quoad. Vall.lib.2.cap.18.19.25.29.41. A.Gell.lib.7.cap.21.lib.12.c.14.

IV *Quare dicuntur condicionales?*

Quia condicionem ſignificant: & praecedētem, aut ſequentem ſententiam determinant:ut,

Donec eris felix,multos numerabis amicos:

Tempora ſi fuerint nubila,ſolus eris. Ouid.

Eripe mihi hunc dolorem,aut ſaltem minue. Cic.

Quod ipſum iniquum non eſt, in tuo dumtaxat periculo. Id.

III *Da confirmatiuas,ſiue ordinis.*

Primum, deinde,praeterea, tum,item, inſuper, denique,poſtremo. Pro his barbari dicunt,primo, ſecundo,tertio,quarto,quincto,ſexto,ultimo.

IV *Quare dicuntur continuatiuae?*

Quia membra orationis inter ſe continuant, & connectunt.

III *Da concluſiuas,ſeu ratiocinatiuas?*

Ergo,ideo,igitur,iccirco,itaque,quare,quamobrem,quapropter,quocirca,proinde.

IV *Quare ſic dicuntur?*

Quia concluſionem rationi propoſitae accommodant.

De

De accidentibus coniunctionum. Cap. X.

III *Coniunctioni quot accidunt?*

Tria. Species, Figura, & Ordo.

III *Quot sunt species coniunctionum?*

Duae. Primitiua: ut, &, aut, uel. Deriuatiua: ut, uerum, uero: a nomine uerus: licet, a uerbo licet: quod, a pronomine: nisi inter relatiua pronomina censtus retinendum: quod etiam Scaligero uidetur.

II *Quot sunt figurae coniunctionum?*

Duae. Simplex: ut, ac, nec, si, etsi, quo. Composita: ut, aeque, neque, siue, tametsi, quoque.

II *Quotuplex est ordo coniunctionum?*

Triplex. Praepositiuus, postpositiuus, & communis.

II *Quae coniunctiones sunt praepositiui ordinis?*

Quae in oratione semper praeponuntur, & sententiam incohant: ut, &, ac, atque, nec, si, etsi, &c.

II *Quae sunt postpositiui ordinis?*

Quae in oratione semper aliis uoculis postponuntur: ut, enim, autẽ, quoque, uero: & Enclitices, que, ue, nam. Itaque per anastrophem dictum est a Virgilio: Nam quis te iuuenum: pro, quisnam te iuuenum.

II *Quae sunt communis ordinis?*

Quae indifferẽter modo praeponũtur, modo post

ponuntur: ut, Ergo, ideo, igitur, itaque, namque, quoniam, quia, tamen. Vall. lib. 2. cap. 55.

De Interiectione. Cap. XI.

III *Quid est Interiectio?*

Interiectio est nota animi affecti: quae sola in oratione posita, animum audientis explet: ut,

Ah miser, & siquis primo periuria coelat:
Sera tamen tacitis poena uenit pedibus. Tibul.

III *Genera interiectionum, quot sunt?*

Totidem, quot sunt affectus animi. Nam aliae sunt notae gaudentis, aliae dolentis, aliae admirantis, aliae irridentis, aliae optantis, seu cupientis: aliae metuentis, aliae dubitantis: quas inter aduerbia referunt alii: quaedam uocantis, quaedam respondentis, quaedam comminantis. &c.

III *Da tales interiectiones.*

gaudentis: ut euax, euohe, euae, io, oh.
dolentis: ut, hau, heu, eheu, hei, hoi, ah, proh, oh.
admirantis: ut, papae, phy, ohe, uah.
irridentis: ut, hui, uah, hahahe.
optantis: ut, utinam, o: item, ut pro, utinam. Terent.
Vt illum dii deaeq. perdant.
fastidientis: ut, apage, apagesis, ohe.
approbantis: ut, euge.
metuentis: ut, at, atat.
dubitantis: ut, fors, forsan, forsitan, forte, fortasse, fortassis.

fortaſſis. Niſi malis inter aduerbia referre.
blandientis: ut,ſodes, ſultis,eia. Item haec uerba, amabo,quaeſo.
indignantis:ut,hem,ehem,hau,uah. Item,haec nomina,malum,nefas,infandum.
hortantis:ut,eia,age,agedum,agite,agitedum.
comminantis: ut,uae,hem.
uocantis: ut,heus,eho,ehodum,o.
reſpondentis: ut,hem,ehem.
ſilentis,& ſilere iubentis: ut,ſt,bat,pax.
exclamantis: ut,o. o coelum, o tellus, o maria Neptuni.
demonſtrantis: ut, hem, en, ecce, eccum, ellum.
iurantis:ut, pol,aedepol,ecaſtor,mecaſtor,hercule, mehercule, mediusfidius, Iuppiter: quae etiam figurata dici poſſunt.

IV *Quid hic obſeruandum?*

1 Quaedam interiectiones, pluribus animi affectibus exprimendis inſeruiunt: ut, o, hem, oh, ohe,ah,uah.

2 Quaedam geminari ſolent: ut, heu, heu: ah, ah:hau,hau:at,ata: eia,eia:euge,euge.

3 Quaedam inuertuntur: ut,ohe,eho:uah,hau: hoi,io.

III *Interiectioni, quot accidunt?*

Duo. Species,& Figura.

II *Quot ſunt ſpecies interiectionum?*

Duae. Primitiua: ut, hem, proh. Deriuatiua: ut,age,ſultis,hercule,mecaſtor.

II *Quot sunt figurae interiectionum?*

Duae. Simplex: ut, age, eho, en. Composita: ut, apage, agedum, ehodum, ellum, pro en illum.

De figuris etymologiae. Cap. XII.

IV *Quot sunt figurae etymologiae?*

Quinque. Antimeria, Metallage, Enallage, Hellenismus, & Archaismus.

IV *Quid est Antimeria?*

Est unius dictionis pro altera positio: ut, quando Nomen, aut Verbum ponitur pro aduerbio: Aduerbium pro coniunctione: aut contra.

Da aliquot tales Antimerias.

1 Nomen pro uerbo: ut, quae tibi isthuc tactio est? Plaut. Pro aduerbio: ut, asper acerba tuens. Pro interiectione: ut, malum, nefas, infandum. Quae malum haec dementia est?

2 Pronomen loco nomini: ut, suus, pro agnato, & proprio, apud iurisconsultos. Pro aduerbio: ut, quid maiora sequar? pro, cur.

3 Verbum pro aduerbio: ut, fere: & pro coniunctione: ut, licet, pro quamquam: adde, pro, praeterea. Et pro interiectione: ut, sodes, sultis, amabo.

4 Participium pro uerbo: ut, in arcem transcurso opus est: pro, transcurrere. Terent. mature opus est facto: pro facere. Sallust.

5 Praepositio pro uerbo: ut,

O mihi

O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago. Virg. pro ſupereſt. Pro aduerbio: ut, fortunatus ſum ceteris rebus, abſque haec una foret.

6 Aduerbium pro nomine: ut, ita ſunt plaerique homines. Plaut. pro, tales ſunt. Lucret. Omnia ſunt ingrata: nihil feciſſe benigne eſt: pro, benigne. Pro pronomine: ut, Hinc illae lacrymae, id eſt, ex hac cauſſa. Terent. Hoc inde factum eſt. id eſt, ex ea cauſſa. Idem. Vnde fit, ut malim fraterculus eſſe gigantum. Iuuenal. Id eſt, ex quo fit. Pro coniunctione: ut, quando haec te cura remordet: pro, quoniam. quo, pro ut. Terent. Neque enim id feci, quo tibi moleſtus eſſem. Simul, & Pariter interdum pro copulatiuis ponuntur: de qua re uide Vall. libro 2. cap. 32.

7 Coniunctio pro nomine: ut, illius ergo uenimus. id eſt, cauſſa illius. Virgil. Niſi dicas Graecum eſſe caſum, a nominatiuo ἔργον. Pro aduerbio: ut, uel hic Pamphilus quoties iurabat Bacchidi? Terent. Pro ueluti. Atque, pro quam, teſte Gellio lib. 10. cap. 29. Ne aliorſum, atque ego feci, acceperit. Terent. Niſi, pro quam. Nihil aliud ſe fatigando, niſi odiū quaerere. Salluſt. Plura pete ex lib. 2. Linac.

IV *Quid eſt Metallage?*

Metallage, Dialecticis dicta Materialis poſitio, eſt, cum aliqua dictio materialiter ſumitur, tamquā eſſet nomen: ut, Illud uale, quam triſte fuit? id eſt, illud uerbum, uale. Propter eſt praepoſitio: id eſt, uox propter eſt praepoſitio. Caeſar eſt diſſyllabum, id eſt, nomen Caeſar. Amicus eſt alter ego. Di

faciant,

faciant, si me ne moriatur ego. Interdum etiam integra oratio, pro Nomine ponitur: ut, Hic uero est, qui si amare occoeperit, ludum iocumq. dices fuisse illum alterum: Prae ut huius rabies, quae dabit. Id est, prae huius rabie, uel rabidis facinoribus.

IV *Quid est Enallage?*

Enallage mutatio est: ubi una dictionis species pro alia eiusdem dictionis specie ponitur: aut unum accidens, pro alio accidente: ut, Nomen unum pro alio nomine, uerbum pro uerbo: Aduerbium pro aduerbio. Item, Genus, pro genere, numerus pro numero, casus pro casu.

IV *Quotuplex est Enallage?*

Duplex. Vna specierum: quando una species dictionis ponitur pro alia eiusdem speciei: ut, Nomen pro Nomine, uerbum unum pro alio uerbo. Altera, accidentium: ut, quando unum nomen in eodem accidente ponitur pro alio nomine: Verbi gratia, genus pro genere: casus, pro casu.

Da aliquot Enallagas nominis, quoad species?

1 Absolutum pro Comparatiuo: ut, Paullo, qui est tolerabilis, pro tolerabilior. Terent. Vel contra: ut, Posterior, pro sequente: superior, pro antecedente: plures, pro multis.

2 Comparatiua: pro Superlatiuis: ut, Duo maiora omnium nauigia submersa sunt, pro, maxima. Curt. lib. 9. Si modo uera est lectio. Vel contra: ab aequinoctio primo, pro priori. Columell. lib. 9. c. 14. Nam cōparatiuus duo partitur: superlatiuus plura.

Numerus

3 Numerus diſtributiuus pro cardinali : ut, Bis quinos ſilet ille dies: pro, bis quinque. Virgil. Gurgite ſepteno rapidus mare ſubmouet amnis. pro, gurgitibus ſeptem. Idem.

4 Cardinalis, pro Ordinalis: ut, Praeſto fuit uno & uigeſimo die: pro primo. Cic. Qui, uno, & octogeſimo anno ſcribens, mortuus eſt. Idem. Vel contra : ut, Sexta ceruice feratur . pro, ſex ceruicibus, Iuuenal.

5 Numerus certus pro incerto: ut, O terq. quaterq. beati. Virgil. Sexcenta poſſum decreta proferre. id eſt: innumera. Cic. Sexcentas proinde ſcribito potius. Terent.

Da Enallagas ſpecierum pronominis.

1 Reciprocum ſui pro Relatiuo: ut, Orat te, ſi ſe ames, hera: ut ad ſe uenias . pro, ſi eam ames. Sic enim ordinanda eſt oratio. Hera te orat, ut ad ſe uenias : ſi eam ames. Nam ſic loquitur Caeſar libro 1. de bello Gallico. Ei legationi reſpondit Arioniſtus: ſiquid ipſi a Caeſare opus eſſet, ſeſe ad eum uenturum fuiſſe : ſiquid ille a ſe uelit, illum ad ſe uenire oportere.

2 Reciprocum ſuus, pro Relatiuo: ut,
Namque ſuam patria antiqua cinis alter habebat.
pro eius, nempe Didonis nutricem. Virgil.
Reſpice Laertem : ut iam ſua lumina condas, pro eius lumina. Sed haec, & ſimilia, ut σολοικοφανῆ uitanda eſſe, recte cenſuit Linacer.

3 Poſſeſſiuum pro primitiuo: ut, Nam negligentia tua, atque odio id fecit tuo. pro tui. Terent. Vt

appareat

appareat facile, desiderio id fieri tuo: pro tui. Terent. Nisi uitiata est lectio.

4 Quidam pro aliquis, & aliquis pro quidam: ut, Et quidam seros hiberni ad luminis ignis
Peruigilat. pro aliquis. Virg.
Atque aliquis de diis non tristibus optat
Sic fieri turpis. pro quidam. Ouid.

5 Est & haec Enallage, plane poetica, quando superlatiuum pronomen fingitur: ut, ipsissimus, pro is ipse. quemadmodū & apud Graecos αὐτότατος.

Da Enallagas specierum uerbi.

1 Absolutum, siue neutrum pro actiuo transitiuo: ut, Corydon ardebat Alexin. pro amabat. Virg.

2 Passiuum pro actiuo: ut,
Et placitam paci nutritor oliuam. pro, nutrito. Virg.
Bellantur Amazones armis. pro, bellant. Idem.

3 Actiuum pro passiuo: ut, —— & iam nox humida caelo Praecipitat. pro, praecipitatur. Virg.
Ingeminant Austri & densissimus imber. pro, ingeminantur. Idem.
Quae res tibi uortat male. pro, uertatur. Terent.

Da Enallagas specierum participij.

1 Actiuum participium pro passiuo: ut, horrentia, pro horrenda. Euidens, pro eo, quod aperte uidebat. Candidior postquā tondenti barba cadebat. pro tonso. Virg. Equo uehentes, pro uectos. Agell.

2 Passiuum pro actiuo: ut, Laeuo suspensi loculos, tabulamq. lacerto. pro, suspendentes. Horat.
Vultum demissa profatur. pro, demittens. Virgil.
Oculos deiecta modestos. pro, deiiciens. Grammatici

tici haec exempla ad synecdochen referunt: de qua in syntaxi figurata.

Da Enallagas specierum praepositionis.

1 Localis, significans ad locum, pro locali, in loco significante: ut, ad pro iuxta, apud, prope: in, pro inter: sub pro ante. Ad dextram: ad sinistram. Erat ad ripam fluminis ingens arbor. Liu. pro iuxta. Mihi quoque est ad portum negotium: pro, apud, Plaut. Esse in nouissimis. Esse in principibus. pro, inter nouissimos: inter princeps. Sub oculis. pro, ante oculos. Caes. 1. ciuil. Vel contra: ut, Intra, pro In. Intra tecta uocant. pro, in tecta. Virgil. Intra calendas, intra modum. uide Agell. lib. 12. cap. 13. Item localis significans de loco. pro locali significante ad locum: ut, a pro contra. Virg. Defendo a frigore myrtos, pro, contra frigus.

2 Localis pro Locali in eodem significatu: ut, ad pro contra, uersus: Hoc prodest ad tormina, id est, contra. Plin. Ad orientem spectat, pro uersus. Id, aduersus, pro, erga, contra. Terent. Id gratum fuisse aduersum te, habeo gratiam, pro, erga te. Ego te complures menses aduersum ingenium meum tuli. Terent. pro contra. Plin. Circa caprificos feras. pro iuxta. In pro contra:

Nitimur in uetitũ semper, cupimusq. negata. Ouid.

3 Localis pro tẽporali: qui quidem est frequẽs usus: ut, circa pro circiter, quod est figuraturus. Hor. Vir circa decem lustra. Suet. Legato circa sestertia uicies prosecutus. id est: circiter. in Claudio. Ad pro circiter, numerali praepositione. Nũmorum ad

tria millia, pro circiter. Summa omnium fuerat ad millia trecenta sexaginta octo. Caes.

4 Localis pro Caussali: ut, De, & Ex; pro, secundum. A, & E, pro, pro: Ad, pro propter; Ad pro secundum: Iuxta pro secundum: In, pro, pro & secundum: Super pro de: De more: de mea uoluntate: de sententia populi. id est, secundum. Ex aequo agere. idest, secundum aequitatem. Ex tua consuetudine feci. id est: secundum tuam consuetudinem. Stare a senatu. id est, pro senatu. E re mea est: e republ. facere. id est, pro re.

Panditur ad nullas ianua nigra preces.

propter nullas preces. Propert. Argentum ei dabitur ad nuptias. Terent. id est, propter nuptias, uel in usum nuptiarum. Hoc ad albicandam cutem utuntur. id est, propter albicandam cutem. Plin. Exprimitur enim caussa finalis. Ad arbitrium, ad nutum, ad amussim, ad unguem; pro secundum. Iuxta M. Varronem doctissimus: pro, secundum. A. Gell. Catachresis est: quam hodie plaerique nimis licenter uti solent. In centum sues decem Verres sufficiunt. Colum. id est, pro centum suibus. In modum seruorum obedire. id est, secundum morem. Multa super Priamo rogitans: pro, de Priamo. Virg.

5 Localis pro Priuatiua: ut, citra pro sine: extra pro praeter: auctoritatem, pro, sine auctoritate, uel absque. Sueton. Vel quia peccaui citra scelus, id est, sine scelere. Ouidius 5. Trist. Extra unam aniculam. Terent. pro, praeter unam. Extra iocum

dico,

dico, id eſt, ſine, uel abſque ioco. Extra culpam eſſe: pro, ſine culpa eſſe. Super bellum annona premente: id eſt, praeter bellum: ut quidam interpretantur.

6 Temporalis pro temporali, in eodem ſignificatu: ut, a pro poſt. Ouid.

Maius ab exequiis nomen in ora uenit.

id eſt, pro exequijs. Sic dicimus, a prandio, pro poſt prandium.

7 Cauſſalis pro Cauſſali, propter cognatam ſignificationem: ut, ſecundum, pro pro: & pro, pro ſecundum. Pro mea conſuetudine, pro tua humanitate. Pro meis facultatibus. Haec pro tuo ingenio conſidera. Cic. Satis pro imperio. Terent. In his omnibus Pro poteſt exponi, per ſecundum: ſicut uiciſſim ſecundum in aliis poteſt declarari per Praepoſitionem Pro.

8 Cauſſalis pro locali: ut, praeter ob, pro ante: propter, pro iuxta: ſecundum pro poſt, & iuxta. Virgil. Prae foribus letum. id eſt, ante fores. ob oculos exſulium uerſatur. Cic. id eſt, ante oculos. Propter aquae riuos. Virg. id eſt, iuxta. Nam ſecundum patrem tu es pater proximus. Terent. pro, poſt patrem: id eſt, poſteriori loco; uel ſecundum habes locum poſt patrem. Plena ſecundum flumina. Virgil. pro iuxta. Vulnus ſecundum aurem accepit: pro iuxta. uide Vall. lib. 2. cap. 46.

9 Priuatiua pro Cauſſali: ut, praeter, pro prae. Cuius eſt, praeter ceteros, nobilitata crudelitas. Cic. id eſt, prae ceteris. Horum ille nihil praeter cete-

ros

ros studebat. Terent. id est, prae ceteris. Pro Locali: ut, Praeter moenia fluit, pro iuxta. Liu. Praeter ripam it, pro iuxta. Idem.

10 Sunt & aliae praepositionum enallagae: qua una pro alia ponitur in remota significatione: ut Ad & Ex pro prae comparatiuo; supra, pro ultra; ob, pro ab, & his similia. Nihil ad tuum equitatum, pro, prae tuo equitatu: id est, si cum tuo equitatum comparetur. Quod ei ex aliis Gallis maximam fidem habebat. pro, prae aliis Gallis. Supra aetatē. Cic. pro, ultra. supra fidem, modum, numerum: pro ultra, uel supra. Significatur enim excessus. ob absoluendum, pro ad. A. Gell. lib. 11. cap. 10.

Da enallagas aduerbiorum.

1 Aduerbia Loci, pro aduerbiis temporis: ut, ibi homo coepit me obsecrare: hic ego illum contempsi prae me. Pro tum coepit: tum contempsi. Terent. in Eunuch. Vbi me uidet in tantum honorem. ibid. pro postquam.

2 Aduerbium Qualitatis, pro aduerbio incrementi: ut, habetis orationem bene longam. Cic. pro satis, uel ualde longam.

3 Aduerbium Comparationis, pro aduerbio similitudinis: ut, tamquam, pro sicut. quod non figuratum, sed uitiatum esse docet Valla libro 2. cap. 36.

Da enallagas specierum coniunctionis.

1 Copulatiuae pro disiunctiuis: ut,

Aut pelago Danaum insidias, suspectaq. dona
Praecipitare iubet: subiectisq. urere flammis. Virg.

nisi

nisi legendum sit, Subiectis ue. Vel Rex mihi semper agebat gratias. Terent. pro, Etiam Rex.

2 Copulatiuae pro caussalibus: ut, Audieras, & fama fuit. Virg. pro, quia fama fuit.

Nec tu aliud Vestam, quam uiuam intellige flāmā:
Nataq. de flamma corpora nulla uides. Ouid. pro, Nata enim.

3 Copulatiua pro aduersatiua: ut, Non solum nobis nati sumus; ortusq. nostri partem sibi uindicat patria. Cic. pro, sed ortus nostri.

Plura his, si putabis fore opus, petes ex lib. 2. Linac. modo cum iudicio ut legas.

De Enallagis accidentium nominis. Cap. XIII.

IV *Quot sunt Enallagae accidentium, siue affectuum nominis?*

Quattuor: Enallage Numerorum, Enallage Casuum, Enallage Generum, & Enallage Specierum.

Da Enallagas Numerorum.

1 Singularis pro plurali: ut, Interea seruitia repudiat: cuius rei initio ad eum magnae copiae concurrebant. pro, quorum. Sallust.

2 Pluralis pro singulari: ut,
Ilia eum Lauso de Numitore sati. pro sata. Ouid.
Sed haec ad figuraram syntaxin.

Da Enallagas Casuum.

Graeci hanc figuram Antiptosin uocant: quando unus casus pro alio casu ponitur: ut,

1 Nominatiuus pro uocatiuo: uel contra. Virg. Proiice tela manu, sanguis meus. pro mi.
Vos o patricius sanguis. pro patricie. Pers.
Censorem ne tuum, uel quod trabeate salutas. Id. pro trabeatus.

2 Ablatiuus pro genitiuo: ut, Habet gladium sed duos: quibus altero te occisurum ait, altero uillicum. Plaut. pro, quorum altero.

3 Genitiuus pro ablatiuo, & accusatiuo: ut, in oppido Antiochiae. Cic. pro, Antiochia.
Celsam Butroti ascendimus arcem. Virgil.
Scaliger negat hic esse Enallagen: ut neque in illo Virgil. Hic tamen ille urbem PatauI.

4 Datiuus pro nominatiuo, genitiuo, & accusatiuo: ut,
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo. pro Iulus. Virg. Scipio, cui Africano fuit cognomen. pro, Africanus. Liu. Sic enim censet Linacer. Ceruix, cui lactea crines Accepit. pro, cuius. Virg.
Ille pater, rectorq. Deum: cui dextra trisulcis
Ignibus armata est. pro, cuius. Ouid.
Ex Andro commigrauit huic uiciniae. pro, in hanc uiciniam. Terent.
It clamor caelo. pro, ad caelum. Virgil.

5 Accusatiuus pro genitiuo, & ablatiuo: ut, pridie Nonas Februarias. pro, pridie Nonarum. Nam illud duriuscule dici, Scaliger nos docuit.

Occur-

Occurrunt animae, quales neque candidiores
Terra tulit. pro, qualibus. Horat.

6 Ablatiuus pro datiuo: ut,
Haeret pede pes, densusq. uiro uir. pro, pedi. Virgil.

Da Enallagas generum.

1 Masculinum pro Foeminino: ut, ualidi silices pro ualidae. uel contra: amarae cortices, pro, amari. Vulgo haec inter dubia referuntur.

2 Foemininum pro neutro: ut,
Mammae putres, equina quales ubera. pro qualia. Horat. uel contra:
Continuo haec adornant, ut lauent. pro, hae. Terentius.

Da Enallagas specierum.

1 Primitiuum pro deriuatiuo: ut,
Dardana suscitat arma. pro, Dardania. Virgil.
Romula pila. pro, Romulea.
Vos, o Pompilius sanguis. pro, Pompilianus. Horat.

2 Patronymica pro possessiuis: ut, Sicelides Musae: pro, Siculae Musae.

3 Vnum nomen aduerbiale pro alio: ut, hesternus, pro pridianus: crastinus, pro postridianus. Terent. Cum iure hesterno panem atrum uorant. Virgil. Numquam te crastina fallet hora.

De Enallagis accidentium uerbi, & reliquis Figuris. Cap. XIV.

IV *Quot sunt Enallagae accidentium uerbi.*

Quattuor praecipue: Enallage Numerorum, Enallage Temporum, Enallage Modorum, Enallage Figurarum.

Da Enallagas Numerorum.

1 Singularis pro plurali: ut,
Amantium irae amoris redintegratio est. pro, sunt. Terent.

2 Pluralis pro singulari: ut,
Vror: & insidiae sunt pudor ille meae: pro, pudor ille est meae insidiae. Ouid.

Da Enallagas Temporum.

1 Tempus praesens pro praeterito, siue perfecto, siue imperfecto: ut, accedo ad pedissequas: quae sit, rogo: sororem aiunt esse Chrysidis. pro, accessi, rogaui, dixerunt. Terent.
Hoc Ithacus uelit, & magno mercentur Atridae.
Virg. pro, uellet, mercarentur.
Ni faciat, maria, ac terras, caelumq. profundum
Quippe ferant rapidi secum, uerrantq. per auras.
pro, faceret, ferrent, uerrerent

Praesens pro futuro: ut,
Progeniem sedenim Troiano a sanguine duci
Audierat. pro, ducendam esse. Virg.

3 Praeteritum tempus perfectum, pro imperfecto, & plusquam perfecto: ut,
Samia mihi mater fuit; ea habitabat Rhodi. pro, erat. Terent. —— & ni mea cura resistat
Iam flammae tulerint, inimicus, & hauserit ignis. pro, tulissent, transisset.

4 Praeteritum pro praesenti, & futuro: ut,
Cumq. animus meminisse horret, luctũq. refugit. Virgil. Si tales animos in proelio habebitis, quales hic ostenditis, uicimus. pro, uicerimus. Liu.
Denique hercle aufugerim potius, quam huc redeã. pro, aufugero. Terent.

5 Futuri temporis uerbum, cum participio futuri temporis, pro simplici futuro: ut,
Siquis forte Deum condoliturus erit. pro, dolebit. Ouid.
Tu procul absenti cura futurus eris. pro, eris. Id.
Mergite me in fluctus, cum rediturus ero. pro, rediero. Propert.

Da Enallagas Figurarum.

Simplex pro composita: ut,
Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos. Virgil. pro, contemnere.

An non sunt etiam Enallagae Accidentium in aliis dictionibus?

Immo sunt. Nam & in pronomine Enallage est figurae: ut, quis pro aliquis, in uoculis, siquis, nequis, & quid pro aliquid: ut, aliud quid.

Et in aduerbio Enallage est figurae: qua, pro quacumque: ut,

Qua terra patet, fera regnat Erynnis. Virgil.

Item in coniunctione, Enallage est. non dumtaxat, pro non solum: de qua uide Vall. libro 2. cap. 41.

IV *Quid est Hellenismus?*

Hellenismus, seu Graecismus est, cum in Etymologia, quaedam Latina nomina, more Graeco inflectuntur: ut, auras pro aurae: uias pro uiae: familias, pro familiae. Dicunt enim Graeci, ἡ αὖρα, τῆς αὖρας.

Est autem Graecismus etiam in ijs, quae e Graecorum lingua, in Latinam transsumta sunt: praesertim in nominibus Graecis primae, secundae, & tertiae declinationis: desinentibus in e, as, & es, primae: ut, Epitome, Aeneas, Anchises: en, in, o, or, as, es, is, ys, os, & us, ns, ps, & x, tertiae: ut, Siren, delphin, icon, Sappho, Hector, Pallas, gigas, lebes, Thetis, chlamys, Aegoceros, Oedipus, Trapezus, Tiryas, cyclops, colax, Harpax, Phoenix, Iapyx, Cappadox, Phalanx, & similia. Nam in his saepe retinentur terminationes Graecorum casuum. Cuius rei luculentum dat exemplum Elegia 19. lib. 1. Propertij.


IV *Quid est Archaismus?*

Archaismus est, cum uetustate exoletis dictionibus utimur pro usitatis: ut, aurai, terrai, frugiferai, aquai, apud Lucret. Duo, & ambo in Accusatiuo casu, pro duos, ambos, parteis, partes. O lepidum senilem, pro, senem: apud Nonium ex Plauto. Eius anuis caussa, pro anus. Terent. Senati co-

lumen. Plaut. pro ſenatus. Mis, tis, ſis: pro mei, tui, ſui. Pariſſimi eſtis hibus, pro his. Plaut. in Curcul. Sic iibus, pro iis: quibus, pro quis, etiam hodie uſitatum: clueo pro perhibeor: Verba antiqua. Qui animum uincunt, quam quos animus, ſemper probiores cluent. A. Gellius affirmat morem hunc fuiſſe ueteribus, uerba patiendi mutare in modum agendi. Exempla pete ex lib. 18. Noct. Attic. cap. 12. Topper, pro celeriter, obſoletum aduerbium. Refer huc cap. 16. lib. 4. & cap. 14. lib. 9. Noct. Attic. A. Gell.

IV *Quid hic cauendum?*

Ne utamur genere ſermonis obſoleto: quaſi cum Carmenta eſſemus locuturi. Quale illud eſt apud A. Gellium: Hic eques Romanus apludam edit, & floces bibit. Sicut uiciſſim abſtinendum eſt a nouatis uocabulis, atque alienis a Latinitate. Nam uerbis uti, aut nimis obſoletis, exculcatiſque, aut inſolentibus, nouitatiſq. durae, & illepidae, par delictum uidetur: ut ait A. Gellius libro 11. capite 7.





NICODEMI . FRISCHLINI QVAESTIONVM GRAMMATICARVM

LIBER . SEXTVS

De Syntaxi Nominum, & Pronominum.



De Syntaxi generatim.

Cap. I.

IV *Quid eſt Syntaxis?*

Syntaxis, Latine Conſtructio, eſt ratio coniungendarum uocum, ſeu faciendae orationis.

IV *Quid eſt oratio?*

Oratio eſt integrae ſententiae explicatio.

IV *Quotuplex eſt Syntaxis?*

Duplex. Vna ſimplex, & popularis: altera figurata.

Quid

IV *Quid est Syntaxis simplex?*

Quae communem rationem loquendi sequitur: ut, Si tu uales, bene est: ego ualeo.

IV *Quid est figurata?*

Quae a consuetudine loquendi recedit: ut, Si tu & Tullia, lux nostra, ualetis: ego & Cicero suauissimus ualemus.

IV *Quae partes orationis absoluunt constructionem?*

Nomen, & uerbum: ita, ut saepe unico uerbo constet oratio. Qua de caussa uerbum habet potissimum uim construendae orationis: ideoq. ceterae dictiones ab eo dependent: ut, quae per se sententiam non absoluant.

Quo ordine tradenda est Syntaxis?

Eodem, quo species Latinarum dictionum explicatae sunt, in Etymologia. Nam primo agendum de constructionibus Nominum, & Pronominum, quatenus inter se construuntur. Deinde, dicendum de Syntaxi uerborum: quoad uerba, uel secumetipsis, uel cum Nomine, aut Pronomine iunguntur. Postremo, de alijs partibus orationis, seu dictionibus tradendum: quatenus illae cum Nomine, aut uerbo construuntur.

De communi Syntaxi adiectiuorum, & substantiuorum. Cap. II.

III *Dic primam regulam de Syntaxi Nominum, & Pronominum?*

Adiectiua nomina, Pronomina, & Participia cum suis substantiuis, in eodem genere, numero, & casu cohaerent. Vall.lib.3.cap.16. Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano. Iuuenal.

Labor omnia uincit
Improbus, & duris urgens in rebus egestas. Virgil.
Amicus certus in re incerta cernitur. Cic.
Scilicet ut fuluum spectatur in ignibus aurum:
Tempore sic duro est inspicienda fides. Ouid.
Magna fuit quondam capitis reuerentia cani:
Inq. suo pretio ruga senilis erat. Idem.
Nam tua res agitur, paries dum proximus ardet.
Horat. Ipsa dies quandoque parens, quandoque nouerca est. Prouer.
Neglectis urenda filix innascitur agris. Horat.
Nullus ad amissas ibit amicus opes. Ouid.
Laudatus homini uolucris Iunonia pennas
Explicat: & forma muta superbit auis. Idem.

IV *Quae hic obseruanda sunt.*

1 Quando duo adiectiua concurrunt, alterum induit naturam substantiui: ut,

Optima prima fere manibus rapiuntur auaris,
Implentur numeris deteriora suis. Ouid.

Optima

Optima quaeque dies miſeris mortalibus aeui
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtiſq. ſenectus,
Et labor, & durae rapit inclementia mortis. Virg.

2 Interdum contra, ex duobus ſubſtantiuis alterum uice adiectiui fungitur: ut,

Hinc populum late regem. Virgil. 1. Aen.
Inter uictrices hederam tibi ſerpere lauros. Idem.
In ſua uictrici conuerſum uiſcera dextra. Luc.

3 Aliquando duobus ſubſtantiuis, aut adiectiuis, diuerſas res ſignificantibus, reſpondet unum nomen plurale, in eodem genere, & caſu: ut,

Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophaneſque, poetae. Horat. Magna, minorq. ferae. Ouid. Thyrſis, & Corydon Arcades. Plato, & Socrates, Athenienſes.

4 Nonnumquam poſſeſſiuis pronominibus adduntur genitiui pronominum primitiuorum, aut nominum partitiuorum, aut participiorum: Valla lib. 2. cap. 1. ut, Ex tuo ipſius animo coniecturam fecero. Cic. pro Marcel. Solius enim meum peccatum corrigi non poteſt. Id. lib. 11. ad Attic. ep. 15 Noſter duorum euentus oſtendet, utra gens ſit bello melior. Liuius lib. 2. ab urb. Cum mea nemo ſcripta legat, uulgo recitare timentis. Horat. lib. 1. ſerm. ſat. 4. Vt mea defunctae molliter oſſa cubēt Ouid. lib. 1. Amor. Eleg. 8. Quamquam haec omnia uidentur eſſe dicta, per Enallagen pronominum, pro, tui ipſius animo, mei ſolius, noſtrum duorum, mei timentis ſcripta, mei defunctae.

Quaſi

Quaſi eſſent Genitiui a nominatiuis, tuipſe, ego ſolus,nos duo,ego timens,ego defuncta. Sed,quia Latini non ita loquuntur, ut Graeci, quibus licet dicere: κύριοσμου, dominus mei: δοῦλόσσου, famulus tui: pro,meus, & tuus: quamquam Priſcianus hoc genus ſermonis approbat Latinis: ideo priori illa loquendi ratione ueteres ſunt uſi: quae in exemplis adductis,& ſimilibus alijs conſpicitur. Plura affert Laur. Vall.lib.2.cap.1.

III *Dic ſecundam regulam.*

Relatiuum, qui, quae, quod, cum antecedente ſubſtantiuo neceſſe eſt genere, & numero conuenire:caſu non ſemper. nam is ſequenti uerbo reſpondet:ut,Leue fit,quod bene fertur onus. Ouid. Eſt profecto Deus, qui,quae nos gerimus, auditq. & uidet. Plaut. Nulla fides, pietasq. uiris, qui caſtra ſequuntur. Lucan. Grata ſuperueniet, quae non ſperabitur hora. Horat. lib.1.epiſt.4. Atque haec perinde ſunt: ut illius animus,qui ea poſſidet:Qui uti ſcit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala. Terent.

IV *Quid excipitur a regula.*

Relatiuum, poſitum inter duo ſubſtantiua diuerſorum generum, tam ſequenti, quam antecedenti,eleganter, & uenuſte reſpondet, in genere, & numero. Vall.lib.3.cap.19. Cic.de Legib. Animal hoc prouidum, & ſagax: quem uocamus hominem. Caeſar lib.3. de bell.ciuil. Pontones, quod eſt genus nauium Gallicarum. Liu. Auxur fuit: quae nunc Tarracinae ſunt. lib.4. ab urb. Plin. libro 18.

bro 18. cap. 32. In coitu Lunae: quod interlunium uocant. Sallust. in Catil. Tum domicilia coniuncta: quas urbes dicimus. Virgil.
Saxum antiquum, ingens: campo qui forte iacebat
Limes agro positus. Plura exempla pete a Valla.

Quid hic obseruandum?

Cum ad uerbum, uel ad totam orationem praecedentem relatiuum infertur, plaerumque Genere neutro ponitur: ut, in tempore ad eam ueni: quod omnium rerum est primum. Terent. Et, quod fortunatum isti putant, uxorem numquam habui. Id. Qui habet salem: quod in te est. Id. Ad quam formam, & illa pertinent. Iam comitia consularia instabant: quae res eum oppressit. Liu. lib. 4. ab urb. Quae tua est humanitas, aequo animo te moneri patieris. Brut. ad Cicer. Vide Linac. lib. 6.

2 Nonnumquam, aut antecedens substantiuum, aut sequens relatiuum omittitur per ἔλλειψιν: ut, Haud facile emergunt, quorum uirtutibus obstat Res angusta domi. scil. homines, uel ii. Iuuenal. Cicer. Nego ius esse, qui miles non sit, pugnare cum hoste. Virgil. 2. Eclog.
Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus.
pro, aliquid eorum. Id. 1. Aeneid.
Vrbs antiqua fuit: Tyrij tenuere coloni. pro, quam tenuere. Ibid.
Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt.

3 Pleonasmus est, quando antecedens substantiuum

tiuum cum relatiuo pronomine repetitur: ut, Erant omnino itinera duo: quibus itineribus domo exire possent. Caes. lib. 1. de bell. Gall. Non sine rumore, quem rumorem ipse auxit. Suet. in Caes. Sed de his figuris suo loco.

IV *Dic tertiam regulam.*

Relatiua accidentis, Genus, numerum, & casum mutuantur a substantiuis, quibus proxime cohaerent: ut, Quantum quisque sua nummorum seruat in arca, Tantum habet, & fidei. Iuuenal. Nemo satis credat tantum delinquere, quantum Permittas, adeo indulgent sibi latius ipsi. Id. Quales in republ. principes sunt, tales reliqui solent esse ciues. Cic. 1. ad Famil. Tanta cuiusque sunt mala, uel bona: quantus est animus, qui illa sustinet. Id.

Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figurae:
Qui sapit, innumeris moribus aptus erit. Ouid.

Quot uiuunt capitum, totidem studiorum millia. Horat. Quot capita, tot sententiae. Prouerb. Templum tantum, quantus est mons. Animal uarium, qualis est mulier. Horat. Figurate dixit:

Mammae putres, equina quales ubera: pro, qualia.

IV *Dic quartam regulam.*

Pronomini Interrogatiuo, nomen uel pronomen redditiuum debet respondere in eodem casu: ut, Quis me sequitur? nemo. Terent. Cuius est haec uestis? Chaereae. Cuius puerum huc apposuisti? Pamphili. Cui dono lepidum nouum libellum,

bellum, Corneli tibi. Catull. Quid meritus? crucem. Terent.

Quid hic notandum?

1 Cum de re infinita, ſeu incerta, quaeritur per uerbum: reſpondetur per aliud uerbum: ut, quid agitur? ſtatur. Terent.

2 Cum uero de actione certa, & definita interrogatur, commode per idem uerbum reſpondetur: ut, Curaſtine, quod mandaueram? curaui. Annon dixi hoc eſſe futurum? dixti.
Itura ne Thetis quopiam es? hodie itura. Terent.

3 Aliquando tamen reſpondetur per aliud uerbum, aut aduerbium: ut, Chaereane ueſtem tuam detraxit? factum. & pro te huc deductus eſt? ita eſt.

Quae excipiuntur a regula?

Aliquando interrogatiuo non reſpondet redditiuum: ſed in eo caſu ponitur, quem uerbum requirit: ut, Quanti emiſti huc librum? duabus drachmis. Quanti uinum uenditur? nummo.

2 Pronomina item poſſeſſiua eo caſu ponuntur: quem requirit uerbum, ad quod reſpondetur: ut, Cuius puerum huc adduxiſti? meum.

3 Contra, cum per pronomen quaeritur, reſpondetur de poſſeſſore in genitiuo: ut,
Cuium pecus? an Meliboei?
Non, uerum Aegonis. Virgil.

De constructione nominum, & Pronominum in Genitiuo casu.
Cap. III.

III *Dic primam regulam.*

Substantiuum cum substantiuo, genitiuo casu iungitur: ut, Omnium rerum uicissitudo est. Terent. Mors ultima rerum linea. Horat. Igitur cupido pecuniae primo, deinde imperii creuit; Ea omnium malorum quasi materies fuit. Sallust. Millia passuum tria ab eorum castris castra ponit. Caes. lib. 1. de Gall. Bonus animus in re mala, dimidium est mali. Plaut. Dimidium facti, argenti, horae, uiae. Nihil pecuniae. Virg.
Vicit amor patriae, laudumq. immensa cupido.

IV *Quae huc pertinent?*

1 Adiectiua neutro genere, pro substantiuis usurpata, substantiuorum more genitiuos adsciscunt: ut,
Vndique ad inferos tantundem uiae est. Cicer. 2. Tuscul.
Quantum quisque sua nummorum possidet arca,
Tantum habet & fidei. Iuuenal.
Si tacitus pasci coruus potuisset, haberet
Plus dapis, inuidiaeq. minus. Horat.
Ego isthuc aetatis nō amori operam dabam. Terēt.
Quid mulieris uxorem habes, aut quibus moratam moribus? Quid istuc hominis? Id.

Sed non uidemus id manticae, quod in tergo est. Catull.

2 Pronomina quoque primitiua, quando possessionem significant, & absolute ponuntur, Genitiuo casu, cum suis substantiuis cohaerent: ut, Tunc omnia iura tenebis, Cum poteris rex esse tui. Claudian. pro, tuus.

Illius aram Saepe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus. Virgil. Hic illius arma, hic currus fuit. Id. Vide etiam Figuratam Syntaxin.

3 Iunguntur & Genitiui Pronominum, cum nominibus substantiuis, affectum animi, aut facultatem significantibus: ut,
Lento gradu ad uindictam sui diuina procedit ira: tarditatemq. supplicij grauitate compensat. Val. Max. Amore mei uicit etiam matrem suam. Quinctil. Ne studio nostri pecces. Horat. Ad Vinn. Asell. Subeat tibi memoria nostri. Cic. Qui desiderium tui ferre non posset. Idem. Citius amore tui fratrem tuum odisse desinam, quam illius odio, quidquam de nostra beneuolentia detrahatur. Idem. Si qua tui Corydonis habet te cura, uenito. Virgil.

Vtrum uero rectius dicatur, Habeo curam uestri, an uestrum, (nam uterque genitiuus Latinis est in usu) de hoc disputant Gell. lib. 20. cap. 5. & L. Valla lib. 2. cap. 1. Vbi doceretur, quod Latini dicant: nemo nostrum, non, nostri, id est, ex nobis: &, habete curam uestri, non uestrum. Sicut & facultatem significantia construi diximus: ut,

Copiam

Copiam sui facere. Copia placandae sit modo parua tui. Ouid. Quocumque tempore mihi potestas praesentis tui fuerit. Cic. ad Lent. Idem de Orat. L. Crassum quasi colligendi sui caussa se in Tusculanum recepisse. Virgil. 4. Aeneid. Et nunc magna mei sub terras ibit imago. Ouid. 15. Metamor. Parte tamen meliore mei, super alta perennis Astra ferar.

Quid hic obseruandum?

Plaeraque substantiua, quibus aliud substantiuum in genitiuo additur, aut significant actiue, aut passiue, aut utrumque: ut, Prouidentia Dei, bonitas Dei, sedes Dei, regnum Dei: significant actiue, & possessiue. Amor patriae, cupido pecuniae, timor Dei, cultus Dei, significant passiue. Non enim patria amat, sed amatur: nec pecunia cupit, sed cupitur: nec timet, aut colit Deus, sed timetur & colitur. Quaedam utrinque significant: ut, Cic. in Cat. Quid de P. Licinii Crassi, & pontificii, & iuris ciuilis studio loquar? Studium Crassi, sumitur actiue: studium iuris, passiue. Sallust. citante Gellio, metum Pompeii dixit passiue: quod metueretur, non quod metuerit. Id bellum, inquit, excitabat metus Pompeii uictoris, Hiempsalem in regnum restituẽtis. Idem metum Punicum extulit actiue: quo Romani metuebant Poenos. Poeticum est, uulnere tardus Vlyssi. Nam actiue hic significat uulnus: nempe, quod Peliae dedisset Vlysses, non quod accepisset. Gell. lib. 9. cap. 12. Vall. lib. 2. cap. 1. Sic memoria mea, actiue significat; qua ego recordor:

memoria mei, passiue; quam alii de me recordatur. Imago mea, actiue uel possessiue, quam mea est; imago mei, passiue, quae de me est.

Quinctil. Sed ut aliquid praestaret patriae utilitas mei, passiue accipitur quatenus patria Quinctiliano posset uti: non ipse patria. Nam fieri potest, ut in eadem re, sit utilitas sua alicui, cum utilitate sua. ibid. Valla. Die quincti, die noni, die crastini, die pristini, quo modo dicatur, explicat Gell. lib. 10. cap. 24.

Quid excipitur a superiori regula?

Substantiua uerbalia nonnumquam admittunt casum sui uerbi, seu primitiui: ut, Terent. Facile, ut uestra auctoritas meae auctoritati fautrix, adiutrixq. fiet. Caes. lib. 1. de bell. Gall. Omni spe domum reditionis sublata, agros exurunt.

III *Dic secundam regulam.*

Adiectiua, quae significant copiam, desiderium, notitiam, affectum animi, & crimen: aut contra; Genitiuum adsciscunt.

1 Copiae: ut, Res est soliciti plena timoris amor. Ouid. Plenus rimarũ sum; hac atque illac perfluo. Terẽt. Postquam omnium rerum sum satur. Idem. Video bonorum urbem refertam fore. Cic. lib. 8. ad Att. Ditissimus agri. Virgil. Quam diues pecoris niuei, quam lactis abundans. Idem. Cappadocum locuples. Horat. Aegyptus frugum fertilissima.

2 Inopiae: ut, Vis consili expers mole ruit sua. Horat. Carmine fit uiuax uirtus: expersq. sepulcri Notitiam serae posteritatis habet. Ouid.

Haec

Haec inanissima prudentiae reperta sunt. Cic. Ager frugum uacuus. Curarum uacuus. Inops amicorum. Cic. Inops auxilii, consilii. Liu. Res inopiosa consilii boni. Plaut. in Poen. Quae sui est impos animi. Idem in Casin.

3 Desiderii, & Fastidii: ut, Mens humana noui tatis auida. Plin. Auidior sum gloriae, quam satis est. Cic. Studiosior mei restituendi, quam retinendi fuit. Idem. Et ruit in uetitum damni secura libido. Claud.

4 Noticiae: ut, Conscia mens recti, famae mendacia ridet. Ouid. Gnarus impendentium malorũ. Praesaga mali mens. Virg. Peritus legum. Horat. 1. serm. Viue memor lethi: fugit hora. Pers.

Venturae memores iam nunc estote senectae:
Sic nullum uobis tempus abibit iners. Ouid.

Litterarum Graecarum doctus. Cic. 1. Offic. Lanificae doctissimus artis. Claud. 2. in Eutrop.

Quique sui memores alios fecere merendo.

5 Inscitiae: ut, Nescia mens hominum fati, sortisq. futurae: Et seruare modum rebus sublata secũdis. Virg. Nescio, qua natale solũ dulcedine cũctos Ducit: & immemores non sinit esse sui. Ouid. Non ignara mali miseris succurrere disco. Virg.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusq. pilae, disciue, trochiue quiescit. Horat.

6 Affectus, seu perturbationis animi: & similia. Timidus procellae Horat. Timidus deorum. Ouid. Anxius gloriae alterius. Liu. lib. 5. de bell. Punic. Securitatis anxius. Plin. lib. 15. cap. 18. Status

ciuitatis ſolicitus. Quinctil. lib. 6. Audax ingenii. Stat. lib. 3. Sylua.

7 Criminis, & contra: ut reus furti. Cic. Integer uitae, ſcelerisq. purus. Horat. Inſons caedis. inſons publici conſilii. Liu. lib. 4. de bell. Maced. Factorum innocens. Tacit. lib. 4. Belli immunis. Virgil.

IV *Quae excipiuntur?*

1 His, quae copiam, aut inopiam ſignificant, inuenias etiam ablatiuos adiici. Vall. lib. 3. cap. 33. ut, Crura thymo plena. Virg. omni copiarum genere abundantes. Cic. diuitiis affluens. diues agris. nihil inſidiis uacuum uideo. Cic. Gladius uagina uacuus. id.

2 Quibuſdam etiam praepoſitiones adduntur: ut, uacuus a periculis animus fuit. Cic. Vacuus ab odio. Immunis a bello. alienus a litteris. Cic. 4. Ver.

3 Quae curam, & affectionem animi ſignificant, iis interdum accuſatiuus uicem additur: ut, clamor undique ab, ſolicitis uicem imperatoris, militibus ſublatus eſt. Liu. Suam uicem magis anxios, quam eius, cuius auxilium ab ſe petebatur. Id. Is tum flere coepit, & os ſuum conuerberare, moeſtus non ſuam uicem. Curt. lib. 7.

IV *Dic tertiam regulam.*

Adiectiua uerbalia, & Nomina participialia, quaeque illorum formam ſequuntur, Genitiuos aſciſcunt: ut, Iuſtum, & tenacem propoſiti uirum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non uultus inſtantis tyranni

Mente

Mente quatit solida. Horat.
Tempus edax rerum. Ouid. Iustissimus unus
Qui fuit in Teucris, & seruantissimus aequi. Virg.
Non illo melior quisquam, nec amantior aequi
Vir fuit: aut illa reuerentior ulla dearum. Ouid.
Capax disciplinae; patiens inediae; sitiens famae; alieni appetens; falsus uictus; lapsus animi; audax ingenii; profusus sui; prodigus aeui; expertus belli.

IV *Dic quartam regulam.*

Quae partitionem, aut collectionem significant: genitiuum adsciscunt, qui exponitur per praepositiones, inter, ex, de, & in: ut,
Amicorum omnia sunt communia. Prou.
Omnia sunt hominum tenui pendentia filo:
Et subito casu, quae ualuere, ruunt. Ouid.
Nulla tuarum audita mihi, neque uisa sororum. Virg. Tetrior hic Tyrannus Syracusis fuit, quã quisquam superiorum. Cic. Quis omnium doctior Aristotele? Id. Ego meorum solus sum meus. Terent. Mons suberat circiter mille passuum. Caes. Vtrum horum mauis, accipe. Partitio exposita: ut, apud Plaut. E malis multis, quod minimum est malum, id minimum est malum.

Quae huc pertinent?

Nomina collectiua, partitiua, numeralia, praesertim cardinalia, & ordinalia: de quibus dictum est in Etymologia.

Quid obseruandum in hac Syntaxi?

1 Imitantur hanc Syntaxin, & haec substanti-

ua: Nemo, nihil, princeps. pro, nullus, nullum, primus: ut, Nemo omnium tam ſit immanis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio. Cic. 1. Tuſcul. Nemo hominum uitiis ſine naſcitur: optimus ille Qui minimis urgetur. Horat. nihil horum feci. Nihil pecuniae, uidetur eadem formam dici: pro, nihil de pecunia. In iure ciuili longe omnium princeps Seruius. Philoſophorum princeps Socrates. Idem. Ciuitatis longe princeps Pompeius.

2 Interdum nomen partitiuum ἐλλειπτικῶς omittitur: ut, o maior iuuenum. Subauditur enim alter; quaſi dicas: o alter iuuenum: qui es natu maior. Scaliger. cap. 101. de cauſſ. ling. Lat. Scipionum ſuperior; id eſt, alter Scipionum, qui aetate fuit ſuperior. Elephantorum Indici maiores ſunt Afris. Id eſt, Qui elephantorum, uel, ex elephantis ſunt Indici: hi maiores ſunt Afris. Liu. Sextus, filius eius, qui minor ex tribus erat. Expoſita eſt hic partitio. Poterat enim dicere: qui triũ minor erat: per Ellipſin: non autem tribus minor. Tres enim erant tantummodo: neque poterat Sextus ſecum ipſo comparari: alias diceretur, ſei pſo minor. Scalig. cap. 101.

3 Fit etiam talis partitio ἐλλειπτική, in aliis, quae non ſignificant partitionem, aut collectionẽ: ut, Canũ degeneres caudam ſub aluum reflectunt. Plin. Piſcium foeminae maiores, quam mares. Id. Quadrupedũ talpis uiſus non eſt. Idem. Sic enim reſolui debet iſta oratio. Quae quadrupedum, ſiue

ex

ex quadrupedibus sunt talpae, iis uisus non est.

4 Interdum partitiuo additur loco genitiui, praepositio cum suo casu: ut, —— nulla Latinas
Inter Hamadryadas coluit solertius herbas. Ouid.
Solus de superis qui tua regna uides. Idem.

5 Quisque, fere cum superlatiuo nomine iunctum reperitur: ut, optimus quisque, sapientissimus quisque. Interdum etiam cum absoluto: ut, Strenuus quisque: Saepe cum interrogatiuo, uel infinito, quotus: ut, Quotusquisque philosophorũ inuenitur, qui ita sit moratus. Cic. 2. Tuscul. Vall. lib. 1. cap. 14.

III *Dic quinctam regulam.*

Superlatiua nomina adsciscunt genitiuos plurales, uel collectiui nominis singulares: qui exponuntur per praepositiones inter, ex, uel de. Nam superlatiua suapte natura significant partitionem. Disertissime Romuli nepotum. Catull. de Cicerone. Ditissimus agri Phoenicum. idest, inter Phoenices. Virgil. 1. Aen. Lucan.
Terrarum domitor, Romanae maxime gentis.
Vnus totius Graeciae facile doctissimus Plato. Cic.

Quid hic obseruandum?

1 Interdum superlatiuum non respondet suo substantiuo, sed suo genitiuo plurali, in eodem genere: ut, Homo animalium omnium perfectissimum. Ignis elementorum supremum.

2 Nonnumquam accedit praepositio: ut, Acerrimus ex omnibus sensibus est sensus uidendi. Cic.

De datiuo cum nomine. Cap. IV.

III *Dic regulam de datiuo cum nomine.*

Datiuos adsciscunt, quae similitudinem, utilitatem, facultatem, & amicitiam, aut contra significant.

1 Similitudinis, & dissimilitudinis exempla: ut,

Malo pater tibi sit Thersites: dummodo tu sis
Aeacidae similis, Vulcaniaq. arma capessas:
Quã te Thersitae similem producit Achilles. Iuue.
Poeta oratori in multis socius, ac paene par. Cic.
Inuitum qui seruat, idem facit occidenti. Horat. id est, simile, seu aequale facinus. Filius similis patri. Cic. in Vatin. Quid tam dissimile, quam Cotta Sulpicio. Idem.

2 Vtilitatis, & incommodi: ut, Cultura agrorum uniuerso generi humano salutaris est. Cic. Proper. Hic satus ad pacem: hic castrensibus utilis armis, Natura sequitur semina quisque suae. Cibus utilis aegro. Ouid. 3. Trist.

Serui qui culpa carent, & metuunt: ij
Solent esse heris utibiles. Plaut. in Menechm.
Mihi commodus uni. Horat.
Verecundia uiro egeno est inutilis. Prou.

3 Facultatis, aut difficultatis: ut, Facile est mihi hoc immutare. Cic. Vigor habilis membris. Habilis

locus

locus pandendis retibus. Plin. Huic consilio meo nihil est isto loco aptius. Cic. Quod uerum, simplexq. est, id est, naturae hominis aptissimum. Id.
Pugnae non sat idoneus. Horat.
Si tibi graue non fuerit. Cic.
Inuia uirtuti nulla est uia. Ouid.

4 Amicitiae, & inimicitiae: ut, amicus omnibus, inimicus nulli. Supplicium legis, & iudicij commune est probis, & improbis. Cic.
Terra salutiferas herbas, eademq. nocentes
Nutrit: & urticae proxima saepe rosa est. Ouid.
Proximus sum egomet mihi. Ter. Seni fidelis. Id.
Fidissimus domino seruus. Liu. lib. 3. de bell. Maced. Tempus agendi fuit mihi magis proprium, quam ceteris. Cic. pro Sull. Propria est nobis mentis agitatio, atque sollertia. Quinctil. lib. 1.
Nulli ueterum uirtute secundus. Virgil.
Pertinacia perseuerantiae finitima est. Cic.
Et mala sunt uicina bonis; errore sub illo
Pro uitio uirtus crimina saepe tulit. Ouid. 1. de Remed.
Micylus illius dis acceptissimus aeui. Id.
Patria hominibus non minus cara esse debet, quam uxor, & liberi. Sulpic. Ciceroni.
Omnes res mihi in amore aduersae sunt. Terent.

IV *Quae excipiuntur?*

Par, similis, proprius, & fidus, interdum etiam genitiuo iunguntur: ut,
Quem metuis, par huius erat. Lucan. lib. 10.
Domini similis es. Terent. in Andr.

Regina tui fidissima. Libertas propria Romani generis. Cic. 3. Phil.
Voluptates deorum propriae sunt. Terent.

2 Quaedam cum praepositionibus construuntur: ut, Inutilis ad pudicitiam, & ad tutandam rē. Terent. Actio congruens, & apta ad animos permouendos. Cic. Ingenium est omnium hominum a labore procliue ad libidinem. Terent. Instruar consiliis idoneis ad negotium nostrum. Cic. lib. 5. ad Att. Alienus a litteris. Idem. Diuersus ab illo. Proximus a Ioue. Secundus a Rege.

3 Non pauca etiam substantiue usurpantur: ut, Amicus ueritatis. Inimicus Caesaris. Socius fortunarum. Animantium proprium, ut aliquid appetant. Cic. Animum iudicis impellere, quocumque res postulat, hoc est unum Oratoris maxime proprium. idem.

De accusatiuo cum nomine.
Cap. V.

IV *Dic primam regulam.*

Adiectiua, quae dimensionem significant, postulant accusatiuum certae mensurae: ut, Vmbra quattuor pedes longa. Plin. Storcae, quattuor pedes latae. Caes. Fossam pedes uiginti latam duxit. idem. Perpetuae fossae quinos pedes altae ducebantur. Liu. lib. 37. Iis insidebant Arabes sagittarij: habentes gladios tenues, longos quatterna cubita. Idem.

Caulis palmum altus. Plin. Digitum non altior unum. Menſis quadraginta dies longus. Cic. Curriculum ſtadij Olympici Hercules ſuis pedibus metatus eſt: idq. fecit longum pedes ſexcentos. Gell, lib. 1. cap. 1.

Quae excipiuntur?

Interdum nomen menſurae genitiuo caſu effertur, rarius ablatiuo: ut, Aſſeres pedum duodecim cuſpidibus praefixi. Caeſ. Staturae quinque pedũ & dodrantis fuit. Sed haec exempla etiam ad 7. reg. 2. cap. de ſyntaxi uerb. referri poſſunt. Colu- mel. In mortem horti areas latas pedum denum, longas pedum quinquagenum facito. Idem. Sulcus dupundio, & dodrante altus. Piln. Longum ſeſquipede: latum pede.

IV *Dic ſecundam regulam.*

Adiectiua, Graeca conſuetudine accuſatiuos adſciſcunt, qui partem aliquam totius ſignificant: ut, Aethiops albus dentes. Bonoſus equina iuba, cetera tauro ſimilis. Plin. Virum cetera egregium. Liuius.

Excepto quod non eſſes & cetera laetus. Horat.
Omnia Mercurio ſimilis, uocemque, coloreq. Virg.
Nuda genu: nodoq. ſinus collecta fluentes. idem.
Et glacialis hiems, canos hirſuta capillos. Ouid.
Craſſa genus Phol oe. Virg.

Sed haec Syntaxis ad Helleniſmũ pertinet: de quo ſub finem operis.

Quae huc pertinent?

Pertinent huc, quae uulgo inter Atticiſmos refe-

referuntur : ut, id genus alia ; pro, eius generis. Non ſum id neſcius. pro, eius rei. Docte ſermones utriuſque linguae. Horat. lib. 1. carm. od. 8. Edoctae militiam legiones. Liu. lib. 6. ab urb. Item illa : Quid tibi hanc rem curatio eſt? pro, huius rei. Id anus mihi iudicium fecit. pro, eius. Terent. Niſi, id anus, per Atticiſmus credas dici. pro, ea anus ; ſicut dicitur ab eodem ſcriptore, Iſtuc hominis, pro, iſte homo.

De ablatiuo cum nomine. *Cap. VI.*

III *Dic primam regulam.*

Quoduis adiectiuum, admittit ablatiuum, ſignificantem inſtrumentum, cauſſam, modum, aut ſimilem circumſtantiam.

1 Inſtrumenti : ut,

Cura quoque interdum nulla eſt medicabilis arte:
Aut, ſi ſit, longa eſt attenuanda mora. Ouid.

Praeditus ingenio. Clarus uirtute. Annibal aeger oculis. Liu. Potens pecunia. Bellum numero hoſtium ingens. Cic.

2 Cauſſae. Laſſus onere faciundo. Plaut. in Aſi. Studio uenandi laſſus. Ouid. 3. Metamorphoſ. Feſſus bello. Cic. 1. de Diuin. Studiorum pondere feſſus. Ouid. ad Piſon. Laetus laetitiis omnibus. Cic. 2. de Fin. Laetus honore. Virg. Animus defa-

tigatus multitudine laborum. Cic.
Formosis nodis paribus pedum. Virg.
Non unquam grauis aere domum mihi dextra redibat. Id. Duplicem gemmis, auroq. coronam. Idem.

3 Circumstantiae: Natione Lesbius: genere Cyprius.

Quid hic obseruandum?

Accedũt interdum ad hos ablatiuos etiam praepositiones: ut, aeger ab animo. Plaut. in Epid. id est, quantum ad animum. Aeger ex uulnere. Liu. lib. 6. Pun. Fessus de uia. Cic. 1. Acad.
Laetus est de amica, idest, propter amicam. Terent.

III *Dic secundam regulam.*

Comparatiua adsciscunt ablatiuum: qui exponitur per particulas, quam, ac, acque. ut,
Ingenium fuerat quondam pretiosius auro:
At nunc barbaries grandis, habere nihil. Ouid.
Vilius argentum est auro, uirtutibus aurum.
Id est, quam aurum, quam uirtutes. Horat.
Quorum tota cohors pede non est altior uno.
id est, quam unum pedem.
Est uindicta bonum uita iucundius ipsa. Iuuen.
Asperius nihil est humili, cum surgit in altũ. Claud.
Nihil homini amico est opportuno amicius. Plaut.

Super terrae tumulum noluit quid statui, nisi columellam, tribus cubitis non altiorem. Id est, quam tres cubitos. Nõ amplius millibus passuum octodecim aberat. Caes. id est, quam octodecim millia passuum. Ouid. 1. de Art.

Quid

Quid magis est durum saxo? quid mollius unda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua.

IV *Quid hic obseruandum?*

Comparatiua interdum iterari solent, cum particula expositiua, quam: ut, Pestilentia minacior, quam perniciosior. Triumphus clarior, quam gratior. Quinctil. lib. 3. cap. 1. Sitq. salubrior studiis, quam dulcior. Liu. Non timeo, iudices, ne odio inimicitiarum mearum inflammatus, libentius haec in illum euomere uidear, quam uerius. Q. Curtio propemodum familiaris est haec loquendi forma: ut, acrius pugnat, quam cautius.

IV *Dic tertiam regulam.*

Dignus, & indignus simpliciter ablatiuum postulant: ut,

Dignum laude uirum Musa uetat mori. Horat.
Hoc turpe, & indignum me puto. Cic.
Praebe te dignum maioribus tuis. Cic.
Dignum memoratu. Plin. lib. 21. cap. 12.
Suscipere curam, & cogitationem dignam suae uirtutis. Balbus Ciceroni. Vbi genitiuus pendet a substantiuis, cura, & cogitatio. Nam dignus saepe sumitur absolute, pro idoneus, uel aptus, aut alio consimili: ut,
Dignus prae aliis. Plaut. in Mil.
Dignus, cui aliquid committatur. Terent. in Andr.

Quid hic notandum?

Interdum pro Ablatiuo infinitiuus ponitur: ut,

ut, Et erat tum dignus amari. Virgil. Reprehendere digna. Stat.

IV *Dic quartam regulam.*

Varia est syntaxis uocis Opus: sed ablatiuum saepius adsciscit: ut, Vbi rerum testimonia adsunt, non opus est uerbis. Cic. Sic dicimus, Facto, dicto, maturato opus est.

Quae excipiuntur?

Nonnumquam ablatiuus in nominatiuum mutatur: ut,

Ita uita est hominum, quasi cum ludas tesseris:
Si illud, quod maxime est opus iactu, non cadit,
Id, quod cecidit forte, arte corrigas necesse est.
Terent.

Simul, quae curando uulneri opus sunt, parant. Liu.

Dux, & auctor nobis opus sunt. Cic.

Aliquantum nobis temporis, & magni laboris, & multae impensae opus fuit. Plancus Ciceroni. Nam in hoc exemplo Genitiui non pendent a nomine Opus, sed a nominatiuo aliquantum: nisi quis aliter legendum censeat.

2 Interdum pro Ablatiuo infinitiuus: ut,

Haec fieri, & oportet, & opus est. Cic.

Cum Accusatiuo usurpatum legitur, per Archaismum: de qua figura alibi.

3 Poetae pro uoce Opus, usurpant eodem significatu, uocem Vsus. Plaut. in Amph.

Vbi summus Imperator non adest ad exercitum:
Citius, quod non facto est usus, fit: quam quod

facto est opus. Cicer. 5. de Finibus. Mihi sic est usus: tibi ut opus est facto, face. ex Heaut. Terent. Idem 4. Tuscul. De ceteris studiis alio loco dicemus, si usus fuerit. Id.





NICODEMI . FRISCHLINI QVAESTIONVM GRAMMATICARVM LIBER . SEPTIMVS

De Constructione uerborum, & Participiorum.



De Nominatiuo cum uerbo. Cap. I.

III Dic primam Regulam.

Omne uerbum finitum ante se admittit nominatiuum, eiusdem personae, & numeri: ut,
Obsequium amicos, ueritas odium parit. Terent.
Poma dat autumnus; formosa est messibus aestas;
Ver praebet flores; igne leuatur hiems. Ouid.
Otia corpus alunt: animus quoque pascitur illis:
Immodicus contra carpit utrumque labor. Id.

Excitat auditor studium, laudataq. uirtus
Crescit: & immensum gloria calcar habet. Id.
Honos alit artes. Cic. Ferrum tuetur principem: melius fides. Seneca. Quidquid delirant reges, plectuntur archiui. Horat.
Parturiunt montes: nascetur ridiculus mus. Id.
Linguam poscit, corpus quaerit, animus orat, res monet. Plaut. in Asin. Secundas res decent superbiae. Id. Pulcritudo mouet oculos, & delectat. Cic. 1. Offic.
Quod licet, ingratum est: quod nō licet, acrius urit:
Quod sequitur fugio: quod fugit ipse sequor.
Illi gratia, fama, ualetudo contingit abunde.
Horat. Euenit illis iter incommodum. Terent. Hannibal peto pacem. Cotta consul facio. Liu. Tum denique homines nostra intelligimus bona: cum, quae in potestate habuimus, ea amisimus. Plaut.
Scribimus indocti, doctiq. poemata passim. Horat.
Curabar propriis aeger Podalirius herbis;
Et, fateor, medicus turpiter aeger eram. Ouid.
Facile omnes, cum ualemus, recta consilia aegrotis damus. Terent. Nullam esse euocationem demonstrauit Scaliger cap. 188.

De Enallage, per quam additur infinito uerbo nominatiuus, dicetur infra in Syntaxi figurata.

IV *Quae huc pertinent?*

Nonnumquam infinitiuus, aut tota oratio infinita, pro nominatiuo, additur uerbo: ut,
Velle suū cuique est, neque uoto uiuitur uno. Pers.

Scire tuum nihil est. Idem.
Eximia est uirtus praestare silentia rebus:
At contra grauis est culpa, tacenda loqui.
Ouid.
Adde, quod ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros. Idem.
Virtus est uitium fugere: & sapientia prima
Stultitia caruisse. Horat.
Principibus placuisse uiris, non ultima laus est. Id.
Principis est uirtus maxima, nosse suos. Mart.
Te animo hilari esse, ualde me iuuat. Cicer. ad Q. Fratrem. Graeci infinitiuo addunt articulum τὸ.

IV *Quae excipiuntur a regula?*

Duo, uel plura, singularia postulant uerbum plurale: ut, Puluis, & umbra sumus. Horat.
Furor, iraq. mentem praecipitant. Virgil.
Vetus est adagium: Fames, & mora bilem in nasum conciunt. Plaut. in Amph.
Omnis enim res, uirtus, fama, decus, diuina, humanaq. pulcris Diuitiis parent. Horat.

2 Vtimur uerbis primae, & secundae personae, dissimulatis fere nominatiuis: ut,
Viuo equidem, uitamq. extrema per omnia duco. Virgil.
Crede mihi: sapere est, nō nimium sapere. Mart.
Saepe tulit fessis succus amarus opem. Ouid.

Quid hic obseruandum?

Pronomina interdum discretionis caussa addun tur: ut, Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus

in umbra Formoſam reſonare doces Amaryllida ſiluas. Virgil.Ecl.1.

IV *Quid praeterea a regula excipitur?*

3 Etiam tertia perſona abſolute, ſine nominatiuo ponitur, in iis uidelicet, quae uel per Ellipſin, uel ſecundum intellectum dicuntur: ut,
Luceſcit; hoc iam ceſſo pulſare oſtium. Terent.
Aureaque, ut perhibent, illo ſub rege fuerunt
Saecula. Virgil. Itur in antiquam ſiluam. Idem.
Subintelligo enim, a Troianis itur. Quid agitur? ſtatur. Terent. Subaudio enim, quid agitur a te? ſtatur a me. Tribus horis pugnatū eſt. Caeſ. Scilicet, a militibus. Vſque adeo turbatur agris. Virgil. Scilicet, ab hoſtibus. Sic abſolute dicimus, Pluit, tonat, fulgurat, fulminat: non addito Nominatiuo coelum, uel Deus. Grammatici populares uocant uerba exemtae actionis, & abſolutae poteſtatis.

4 Ponuntur etiam abſolute ſine Nominatiuo: Solet, poteſt, certum eſt, eſt, pro licet, apparet, ſtat, conſtat. Item haec peruulgata: accidit, conuenit, euenit, contingit, libet, licet, liquet, miſeret, nocet, oportet, patet, piget, placet, poenitet, pudet, praeſtat, reſtat, taedet, & uacat: ut Cic. 1. de Orat. Vt in condicionibus ſcribi ſolet. Non poteſt iucunde uiui: niſi cum uirtute uiuatur. Id. 1. de Fin.
Certum eſt in ſiluis inter ſpelaea ferarum
Malle pati. Virgil.
Apparet hunc eſſe ſeruum domini pauperis. Terēt.

Vt

Vt inter omnes constat antiquos. Cic.de Orat.
Stat casus renouare omnes. Virgil. Cernere erat. Id.6.Aen.
Est quodam prodire tenus, si non datur ultra. Horat. Putares ne umquam accidere posse, ut mihi uerba deessent. Cic.
Nunc ita conuenit inter me, atque hunc. Plaut. in cap. Contra euenit. Horat. Forte euenit, ut in Priuerno essemus. Cic.de Orat.lib.2.
In magnis animis contingit. Id.1.Offic.
An nihil expediat tale mouere, uide. Ouid.
Expedit esse Deos. Id. Iuuat ire per altum. Virgil.
Vltra Sauromatas fugere hinc libet. Iuuenal.
Peccare nemini licet. Cic.1.Tuscul. Liquet inter nos.Id.1.de natura deor. Miseret hominis poenae. Liu.2.ab urb. Nihil nocuerat. Cic.12.ad Att. Itane fieri oportet? Terent. Cum pateat, aeternum id esse, quod seipsum moueat. Cic.1.Tuscul. Sic placitum. Virgil. Pudet dicere hac praesente uerbum turpe: at te illud facere nullo modo piguit. Terent. Emori potius, quam seruire, praestat. Cic. in Pison. Ire tamen restat, Numa quo deuenit, & Ancus. Horat.
At enim taedet iam audire eadem millies. Terent.
Et uacet annales nostrorum audire laborum. Virgil.

Quid hic notandum.

Quaedam ex his eadem significatione usurpantur etiam passiue: ut, Quod optimo cuique Athenis accidere solitum est. Cicer.2.lib. de Oratore.

De quo genere libitum est mihi paullo plura, quam ostenderam, dicere. ibid. pro, libuit. Exspectassem Brundusij, si esset licitum per nautas. Id. Terentiae lib. ad Fam. 14. Epist. 4. pro, si licuisset. Miseritum est. Terent. in Phorm. Pro, miseruit me. Sic placitum superis. Virgil. Pro, placuit. Nonne esset pudicum, si hanc caussam agerem seuere. Cic. pro Flacc. Si non pertaesum thalami, taedaeq. iugalis. Virgil. Pro, si non pertaeduisset me.

IV *Dic secundam regulam.*

Verbum finitum sequitur aliquando nominatiuus, significans statum, uel gestum: & exponi potest, per aduerbium: ut,

Et semel emissum uolat irreuocabile uerbum. Horat. Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos. Virg. Virtutem incolumen odimus:
Sublatam ex oculis quaerimus inuidi. Horat. Venies omnibus exspectatus. Cic. Dormit securus, pro secure. Bibit ieiunus: id est, ieiune. It cubitum incoenatus.

III *Dic tertiam regulam.*

Verba substantiua, & nuncupandi, & quae similem uim habent: utrimque nominatiuum admittunt: ut, Ira, furor breuis est. Horat.
Nemo repente fuit turpissimus. Iuuen.
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodet aurem.
Horat. Manus nostrae sunt oculatae: credunt, quod uident. Plaut.
Mali sunt homines, qui bonis dicunt male. Id.

Hoc

Hoc nominatur potius latrocinium, quam bellum. Cic. Themiſtocles, cum recuſaſſet lyram in epulis, habitus eſt indoctior. Id. Dalmatae ſemper habiti ſunt bellicoſi. Id. Is propter me, honeſtiſſimus inter ſuos numeratur. Idem.

IV *Quid hic obſeruandum?*

1 Non raro uerbum ſubſtantiuum omittitur per ellipſin: ut, Odium, & metus peſſimi ad diuturnitatem cuſtodes: ſcilicet, ſunt. Cic. Suauitas mediocre condimentum amicitiae: ſcilicet, eſt. Id. Pauci, quos aequus amauit Iuppiter, aut ardens Euexit aethera uirtus. Virg. Pauci quippe boni. Iuu. Lingua mali pars peſſima ſerui. Idem.

2 Interdum cum ſubſtantiuo etiam pronomen relatiuum omittitur: quam figuram dixere Grammatici Appoſitionem: ut, urbs, Roma; poeta, Virgilius; regina, pecunia; dux, foemina; foemina, princeps. opes, irritamenta malorum. Nam ſubauditur, qui eſt, uel quae eſt, uel quae ſunt.

3 Nominatiuus ſequens, cum fuerit adiectiuũ praecedentis, reſpondet illi in eodem genere: ut, Senes ſunt moroſi. uinum eſt dulce. Cum uero ſubſtantiuum fuerit, non neceſſe erit genere conuenire: ut, Sidera ſunt teſtes. Virg.

4 At, cum ſequẽti nominatiuo adiectiuum fuerit additum: neceſſe eſt, ea inter ſe conuenire genere, caſu, & numero: ut,

Caſta Deus mens eſt: caſta uult mente rogari:
Et caſtas iuſſit pondus habere preces.

Virtus

Virtus est medium uitiorum, utrimque reductum. Horat.
Animus aequus est optimum aerumnae condimentum. Plaut. Virtus praemium est optimum. Id. Forma bonum fragile est: quantumq. accedit ad annos Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo. Ouid. 2. de Art.

5 Adiectiuum participiale, inter duo substantiua positum, respondet priori: ut, Tullia nata est homo. Sulpic. ad Cic. lib. 4. ad Fam. Ouid.
O mihi perpetuum nata puella malum.

6 Verbum substantiuum respondet subiecto in numero, non praedicato: ut,
Gaudia principium nostri sunt saepe doloris.
Ouid. 7. Metamorph. Figurata sunt,
Amantium irae, amoris redintegratio est.
Insidiae sunt pudor illae meae: pro, pudor ille est meae insidiae. Nisi quis sic ista ordinet: Redintegratio amoris, est irae amantium. Et, Meae insidiae, sunt ille pudor. Sicut apud Martial. Alea parua nuces, & nō damnosa uidetur: Saepe tamen pueris abstulit illa nates. Vbi ordo uerborum est, Alea parua, & nō damnosa uidetur nuces. Si addatur infinitiuus esse, mollior uidebitur oratio.

III *Dic quartam regulam.*

Vocatiui secundae personae uerbis, & imperatiuis praeponuntur: ut,
Dicite Pontifices, in sacro quid facit aurum. Pers.
At tu, dum primi floret tibi temporis aetas,
Vtere: non tardo labitur illa pede. Tibull.

O for-

O formoſe puer, nimium ne crede colori. Idem.

IV *Quid hic obſeruandum?*

Nonnumquam uocatiui ſine uerbo inſeruntur orationi: ut,

O Moliboee, Deus nobis haec otia fecit. Virg.

Nate Dea, quo fata trahunt, retrahuntq. ſequamur. Idem.

IV *Dic quinctam regulam.*

Interrogatiua pronomina, & aduerbia, interrogatiue poſita, adduntur fere uerbis indicatiui modi; poſita infinite, iunguntur uerbis ſubiunctiui modi: ut,

Stulte, quid eſt ſomnus? gelidae niſi mortis imago? Ouid.

Quis iſtic mos eſt? ita ne fieri decet? Quid ego feci? Ter. Reuiſo, quid agant, aut quid captent cõſili. Id.

Quid deceat, non uidet ullus amans. Ouid.

De aduerbiis infra.

De genitiuo, & accuſatiuo cum uerbo. Cap. II.

IV *Dic regulam.*

Verba memoriae, & obliuionis, promiſcue genitiuum adſciſcunt, uel accuſatiuum: ut,

Pone toros; pete uina; roſas cape; tingere nardo;
Ipſe iubet mortis te meminiſſe Deus. Mart.

Diſcit

Discit enim citius, meminitq. libentius illud,
Quod quis deridet, quam quod probat. Horat.
Huius meriti in me recordor. Cic. Olim haec meminisse iuuabit. Virg. Oblitos famae melioris amantes. Id. Hinc iam obliuiscere Graios. Idem. Ocia delectent, admoneantq. mei. Ouid. Admonitus aeris alieni. Cic. Illud me praeclare admones. idem.

Quid hic notandum?

Quaedam ex his construuntur cum praepositione: ut, meminit de te: id est, tui mentionem fecit. Putaui ea de re te admonendum. Cic.

De genitiuo, & ablatiuo cum uerbo. Cap. III.

IV *Dic primam regulam.*

Verba accusandi, damnandi, & absoluendi genitiuum adsciscunt, qui facti speciem significat: uel ablatiuum, qui significat facti genus. Vall. lib. 3. cap. 32. ut,

1 Accusandi. Accusatus est rei capitalis. Cic. in Verr. Gabinium accusauit Maiestatis. Idem. Arguis uiros mortuos summi sceleris. Id. pro Rab. Furti se adstringit. Plaut. Furti se alligat. Idem. Dolabellam repetundarum postulauit. Sueton. Si herum insimulabis auaritiae, male audies. Ter. Conuinco te non modo inhumanitatis, sed etiam malitiae. Cic. 2. Philipp.

Dam-

2 Dammandi: ut, Sceleris, atque parricidii condemnabimus. Cic. Condemnatus est peculatus. Idem pro Flacco. Iudices hominem innocentissimum capitis condemnarunt. Idẽ. Sed nequaquam tantum relictum est, quantae summae dãnatus fuerat. Liu. Condemnabo eodem ego te crimine. Cic. Multos capite condemnauit. Sueton. Multo te pecunia.

3 Absoluendi: ut, Absoluo te iniuriarum. Cic. Tu absolutus es improbitatis. Idem 3. Verr. Inuenimus uxorem Ignatij, cum uinum bibisset e dolio, fuste interfectam a marito: eumq. caedis a Romulo absolutum. Liu. Atque hunc ille uir summus, scelere solutum, periculo liberauit. Cic. pro Milon.

Quid hic sciendum?

Eadem uerba saepenumero cum ablatiuo construuntur addita praepositione: ut, Accusas me de epistolarum negligentia. Cic. ad Att. Postulauit eum de repetundis. Idem. Non te de hoc crimine arguo. Id. 7. Verr. Qui de perduellione anquirerent. Liu. lib. 6. Cicero etiam per Hypallagen, ordine inuerso, dixit: Inertiam accusas adolescẽtum. pro, adolescentes accusas inertiae.

IV *Dic secundam regulam.*

Verba aestimandi, emendi, & uendendi, construuntur cum his genitiuis, tanti, quanti, quãtiuis, quanticumque, pluris, & minoris.

1 Aestimandi: ut, Quanti me illud aestimare putas. Cic. Nisi uoluptatem tanti aestimaretis. Id. Consciẽtia mihi pluris est, quã hominis sermo. Id.

Emendi,

2 Emendi,& uendendi : ut, Tanti emit,quanti alter uendidit.3.Offi.uendo meum frumentum nō pluris,quam ceteri, fortasse etiam minoris.Cic. Magis illa iuuant, quae pluris emuntur. Iuuen. Quanticumque domus constet. Id.

IV *Quae huc pertineat?*

Adduntur uerbis aestimandi, & hi genitiui; Nauci,nihili,flocci,pili,huius,magni,parui, maximi,pluris,plurimi, aequi, & boni : ut, Non habeo nauci Marsiam augurem. Cic. 1. de Diu. Respicio uos nihili meam gratiam facere. Plaut. Omnes inuidere mihi; ego flocci pendere. Teren. Nec pili facit uni. pro,unius. Catull. Huius non faciam. Terent. Tu fortasse,quid me fiat,paruipendis. Idem. Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis auis. Ouid. 1. Fastor. Pluris est testis oculatus unus, quam auriti decem. Plaut. Terentia te plurimi facit. Cic. Maximi debemus aestimare conscientiam. Id. pro Cluent. Aequi, boniq. consulere,facere,&c.

IV *Quid excipitur?*

Pretium rei in uerbis mercandi, & aestimandi effertur ablatiuo casu. Vall. lib. 3. cap. 2. ut, Vendidit hic auro patriam. Virg.
Haud illi stabunt Aeneia paruo Hospitia. Idem.
Balnea,sexcentis,& pluris porticus emta. Iuuen.
Laetius est,quoties magno sibi cōstat honestū. Luc.
Quid agas? nisi, ut te redimas captum quā queas minimo,&,si nequeas paullulo,at quāti queas. Ter.
Paruo cum pretio diu liceret. Mart.

Et centum Graecos curto centusse licetur. Pers.
Magno ubique pretio uirtus aestimatur. Val.Max.
Quanti eam emit? uili. quot minis? quadraginta minis. Plaut. in Epid.
Quanti emtae? paruo. quãti ergo? octussibus. Hor.

IV *Dic tertiam regulam.*

Verba tertiae personae, interest, & refert, construuntur cum genitiuis, tanti, quãti, magni, & parui. Vall. lib. 3. cap. 3. ut, Quanti reip. interest, omnes copias in unum locum conuenire. Cic. Magni interest ad decus, & ad laudem ciuitatis, ita fieri. Id. Parui refert, abs te ipso ius dici. Id. Parui retulit, non suscepisse. Interest omnium, recte facere. Cic. In ceteris fit resolutio: ut, Mea refert. id est, fert re mea. Reip. refert. id est, fert re reipub.
Tua quod nihil refert, percunctari desine. Terent. id est, quod non repraesentat tua negotia. Sic mea, tua, sua, interest: quasi dicas inter mea, tua, sua est: uel inter mea negotia est. Scalig. capit. 125.

Quid huc pertinet?

Valeo cum accusatiuo, & ablatiuo reperitur, sed cum ablatiuo saepius: ut, Denarij, quod denos aeris ualebant, dicti. Varro. Scrupulum ualebat sestertiis uicinis. Plin. lib. 33. cap. 3.

III *Dic quartam regulam.*

Verba copiae, & inopiae, modo genitiuum, modo ablatiuum recipiunt: sed ablatiuum frequentius: ut,
Implentur ueteris uini, pinguisq. ferinae. Virg.

Erroris ambo ego illos,& demẽtiae cõplebo. Plaut.
Nae tu propediem istius obsaturabere. Terent.
Lactis abundans. Virg.
Sensum a caelesti demissum traximus arce:
Cuius egent prona,& terram spectãtia mundi. Iuu.
Quasi tu huius indigeas patris. Terent. in Andr.
Praeterquam tui carendum quod erat. Idem.

Cum ablatiuo: ut, Is uomens, frustis esculentis totum tribunal impleuit. Cic. 2. Philipp. Saturnus appellatus, quod saturetur annis. Idem. Abundare praeceptis philosophiae. Id. 1. Offic. Malo uirum pecunia, quam pecuniam uiro indigentem. Ibid. Venter caret auribus. Prou.

Quod caret alterna requie, durabile non est:
Haec reparat uires, fessaq. membra leuat. Ouid.
In uitium ducit culpae fuga, si caret arte. Horat.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit: tutus caret obsoleti
Sordibus tecti: caret inuidenda Sobrius aula. Id.
Morte carent animae. —— Ouid.
Culpa uacare, magnum est solatium. Cic.

IV *Dic quinctam regulam.*

Verba, quae curam, aut perturbationem animi significant, promiscue genitiuos,& ablatiuos adsciscunt: praeter miseror, & misereor: quorum hoc soli genitiuo, illud soli accusatiuo iungitur: ut, Discrucior animi,& animo. Teren. Animi se angebat. Id. Angor animo. Cic. Pendeo animi. Idem. Pendemus animis. Id. Rerum suarum satagit. Ter. Commune periculum miserabantur. Caes.

Me liceat caſum miſerari inſontis amici. Virg.

Neminis miſereri certum eſt: quando mei nemo miſeret. Plaut.

Nil noſtri miſerere, mori me denique cogis. Virg.

IV *Quae huc pertinent?*

Pathetica: miſeret, piget, pudet, paenitet, & taedit; quae uſus loquendi ad tertiam perſonam detorſit. Genitiuum adſciſcunt cum accuſatiuo perſonae: ut, Miſeret me tui. Terent. Fratris me quidem piget, pudetque. Terent. Suae quemque fortunae paenitet. Cic. Sunt homines, quos libidinis, infamiaeq. ſuae neque pudeat, neque taedeat.

III *Dic ſextam regulam.*

Verbo ſubſtantiuo ſubiicimus genitiuum perſōnae, quoties poſſeſſionem, aut proprietatem ſignificamus: uel genitiuum, aut ablatiuum rei, quoties formam, aut qualitatem alicui ineſſe oſtendimus. Genitiuus perſonae: ut,——Quod medicorum eſt, Promittunt medici: tractant fabrilia fabri. Hor.

Non eſt, crede mihi, ſapientis dicere uiuam:

Sera nimis uita eſt craſtina; uiue hodie. Mart.

Turbare uolunt concordiam ordinum, quam diſſoluendi maxime tribuniciae poteſtatis rentur eſſe. Liu. lib. 5. ab urbe. Imperium regium initio conſeruandae libertatis fuerat. Salluſt. id eſt, ad conſeruandam libertatem pertinebat. Non eſt huius loci, aut temporis. Iudicis ſemper eſt, uerum ſequi. Cic. id eſt, proprium eſt iudicis. Boni paſtoris eſt, tondere pecus, non deglubere. Sueton. Non minus eſt imperatoris, conſilio ſuperare,

quam gladio. Caes. lib. 1. de bell. ciuil. Non est sapientis dicere, non putaram. Cic. Non uidetur esse nostrae dignitatis. Idem.

Genitiuus, uel accusatiuus rei: ut,
Cũ faciẽ uideas, uidetur esse quantiuis pretij. Ter. Quandoquidem tam nullius consilij sum. Idem. Damocles erat Argiuus adolescens, maioris animi, quam consilij. Liu. Asini sunt amplissimi corporis, ceruicis ualidae. Colum. Fac sis, bonae frugi sies. pro frugis, antique. Plaut. Cicero erat tenuissima ualetudine. Caes. Mira sunt alacritate. Cic.

Sic dicimus esse animo bono, laeto, uacuo, &c. Iuuen. sat. 14.
Fallit enim uitium specie uirtutis, & umbra:
Cum sit triste habitus, uultuq. & ueste seuerum.

IV *Quid hic notandum?*

Verbum substantiuum frequenter per Ellipsin omittitur: ut, Homo omnium horarum. Prou. Res magni momenti. Cic.
Ingenui uultus puer, ingenuiq. pudoris. Iuuen. Homo ambiguae fidei. Liu. Homo frugi, & frugi bonae. Cic. ad Att. lib. 4. Homo nihili, nauci, flocci. id est, nullius pretii. Homo antiqua uirtute, & fide. Terent.
Crine ruber; niger ore; breuis pede; lumine laesus. Martial.

IV *Dic septimam regulam.*

Vrbium nomina primae, aut secundae declinationis, genitiuo casu iunguntur uerbis, significantibus quietem in loco: ut, Romae summum est ocium. Cic. Tarenti degit Archita: qui ligneam

columbam

columbam fecit uolatilem. Agell.

IV *Quae huc pertinent.*

Pertinent huc,& hi genitiui, nominum communium, domi, militiae,& humi: ut, Malo ſine periculo eſſe domi meae, quam cum periculo domi alienae. Cic. Quis tantos labores domi, militiaeq. ſuſciperet, niſi immortalitatem ſperaret. Idem. Nudus humi iacet infans. Lucret. Humi quoque uice pedum ſerpunt. Plin.

Quid hic notandum.

Genitiuo humi utuntur Latini, etiam motum ad locum ſignificantes: ut,

Septem ingētia uictor Corpora fundit humi. Virg.
Procumbit humi bos. Id. pro, in humum.
Sternit humi iuuenem. Ouid.
Stratus humi palmes. Iuuen.

De datiuo cum uerbo.
Cap. IV.

IV *Dic primam regulam.*

Verba omnia, in quibus eſt quaedam concedendi ſignificatio: hoc eſt, quae ſignificant tribuere, mandare, obſequi, & aduerſari, datiuum perſonae, aut rei admittunt: ut,

Dat ueniam coruis: uexat cenſura columbas. Iuue.
Vſibus edocto ſi quidquam credis amico:
Viue tibi, & longe nomina magna fuge. Ouid.
Regia (crede mihi) res eſt ſuccurrere lapſis. Idem.

Satis uixisti naturae, & gloriae, patriae certe parum. Cic.
Viuere naturae si cõuenienter oportet. Hor. 1.ep.li.
Cic. 3. Offic. Nec sibi, nec alteri prodest. Id. 2. Offic.
Peto abs te, ut his commodes omnibus in rebus. Id.
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci. Hor.
Seruire utilitati, & saluti ciuium. Cic.
Officere, atque obstare commodis alicuius. Idem pro Rosc.

Da exempla reliquarum significationum.

1 Imperandi: ut, Imperat, aut seruit collecta pecunia cuique. Horat.
Mandare aliquid memoriae. Cic. Praescribo tibi, qualis esse debeas. Id. pro Caecin. Designa, constitue mihi diem, ac locum. Cic.

2 Obsequendi: ut, Obediendum, & parendum uoluntati Dei. Cic. 2. de Nat. Deo. Mos gerendus est patri. Terent. Animum studiis intendere honestis. Horat. Milites dicto imperatoris audientes. Caes. 1. de bell. Gall. Dare operam litteris. Studere optimis disciplinis. Cic.
Debemus morti nos nostraque. Horat.
Vxorem quare locupletem ducere nolim,
Quaeritis: uxori nubere nolo meae. Mart.
Si qua uoles apte nubere, nube pari. Ouid.

3 Aduersandi: ut, Omnibus in disputando aduersatur. Cic. Repugnaui fratri tuo. Id.
Principiis obsta: sero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras. Ouid.

4 Nunciandi: ut,

Indignis si male dicitur, maledictum id esse duco:
Verum, si dignis dicitur, bene dictum est, meo quidem animo. Plaut.
Mihi & scriptum, & nunciatum est. Cic.
Narrauit mihi de tuis sermonibus. Idem.
Nil mihi rescribas: attamen ipse ueni. Ouid.

5 Confidendi: ut, Nemo credit, nisi ei, qui fidem putat. Cic. Pro certo hoc tibi polliceor. Id.
Habeo fidem dictis tuis. Plaut.

6 Irascendi, aut contra: Non temere soleo irasci animis tuis. Cic. 8. Philipp. Vehementer ei minatus sum. Id. 6. Verr. Ignosce meae festinationi. Id. 5. ad Famil. —— aequum est
Peccatis ueniam poscentem, reddere rursum. Hor.

IV *Quae praeterea huc referenda sunt?*

Datiuum personae adsciscunt, & uerba absoluta: falso aliis dicta impersonalia: ut sunt, accidit, conuenit, conducit, constat, contingit, euenit, expedit, libet, licet, nocet, obest, prodest, placet, patet, praestat, restat, sufficit, uacat. Nam mihi omnia, quae iucunda ex uita alterius, & moribus homini accidere possunt, ex illo accidebant. Cic. lib. 1. ad Attic.
Non cuiuis homini contingit adire Corinthũ. Hor.
Cõueniens homini est hominem seruare uoluptas. Ouid. Neque homini infanti, aut impotenti iniuste facta conducunt. Cic. 1. de Fin.
Quis feret uxorem, cui constent omnia. Iuuen.
Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit: obseruant, quae statuere diem. Mart.

Quodsi esset factum, numquã haec euenissent tibi. Terent. in Heaut.
Pacem reduci uelle, uictori expedit. Senec.
Quodcumque libuit facere uictori, licet. Idem.
Cui peccare licet, peccat minus: ipsa potestas
Semina nequitiae languidiora facit. Ouid.
Tolle moras; semper docuit differre paratis. Luc.
Dum spectant oculos laesi, laeduntur & ipsi:
Multaq. corporibus transitione nocent. Ouid.
Gloria multis obfuit. Ouid. in Metamorph.
Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque:
Aeque neglectum pueris, senibusq. nocebit. Horat. de studio philosophiae.
Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors. Id.
Casta placent superis, pura cum mente uenite:
Et manibus puris sumite fontis aquam. Tibull.
Patent aures tuae querelis omnium. Cic. ad Q. Fr.
Tacere praestat Philosophis, quam loqui. Cic. 3. de Nat.
Libertas, quoniam nulli iam restat amanti:
Nullus liber erit, siquis amare ualet. Propert.
Suffecitq. malis animus: nam corpue ab illo
Accepit uires, uixq. ferenda tulit. Ouid. 3. lib. Trist. El. 2.
Non uacat exiguis rebus adesse Ioui. Id. 2. Trist.
Plaeraq. omnia ex his manserunt integra: quae usus non detorsit ad tertiam personam: ut sunt, accido, conuenio, conduco, consto, contingo, euenio, expedio, noceo, obsum, prosum, placeo, pateo, praesto, resto, uaco.

Quae

IV *Quae excipiuntur a regula?*

Quaedam uerba eadem ſignificatione, promiſcue datiuum, uel accuſatiuum, tam rei, quam perſonae admittunt: ut,

—— Qui non moderabitur irae,
Infectum uolet eſſe: dolor quod ſuaſerit & mens.

Horat. Verſat caelum Deus, terram tuetur, maria moderatur. Cic. 3. de Nat. Deorum.
Te auſculto lubens. Plaut. in Pſeud.
Incertum eſt,
Pamphilum ue adiutem, an auſcultem ſeni.
Terent. in Andr. pro, an obediam. Qui Rubrium corona, & phaleris, & torque donaſti. Cic. in Verr. Niſi forte dubium eſt, quin hominibus haec omnia natura donauerit. Idẽ. Dolorem ſuum nobis impertit. Cic. ad Att. Ibidem: Salutem impertire. Ter. in Eunuch. Salute plurima Parmenonem impertit Gnato. Sed haec, & ſimilia uidentur etiam alio referri poſſe.

2 Quaedam addunt praepoſitionem: ut, Scribo tibi; ſcribo ad te. Conſulo tibi; conſulo in te. Vaco huic rei; uaco in hanc rem. Retulit mihi; retulit ad ſenatum. Incumbo huic negotio; incumbo in hoc negotiũ. Studeo huic rei; ſtudeo in hãc rem.

3 Quaedam utroque caſu coniunguntur, ſed in diuerſa ſignificatione: ut, Conſulo tibi; conſulo te. Metuo tibi; metuo te. Praeſto tibi; praeſto te. Caueo mihi; caueo te. Proſpicio meae ſaluti; proſpicio nouum periculum. Exempla paſſim ſunt obuia.

III *Dic secundam regulam.*

Verba composita cum his propositionibus, ad, ante, post, inter, ob, in, sub, prae, de, re, & cum: plaerumque datiuum exigunt.

Ad: ut, Nullam fidem, auctoritatemq. debemus rebus commentitiis adiungere. Cic. 2. de Diuinat. Epistola illa mihi somnum ademit. Idem.

2 Ante: ut, Neminem tibi antepono. Cicero lib. 12. ad Fam. cap. 17. Antecellit omnibus ingenij gloria. Id. pro Archia. Si huic rei illa antecedit. Id. in Top. Praestantia animi omnibus bonis corporis anteit. Id. 5. de Fin.

3 Post: ut,

—— Postponit famam pecuniae.

Posthabui tamen illorum mea seria ludo. Virg.

4 Inter: ut,

Interpone tuis interdum gaudia curis. Auson. Interuenit sermoni. Tu plura audis, & interes consiliis. Cic. Aditus est mihi ad eum locum interclusus. Idem.

5 Ob: ut,

Principiis obsta: sero medicina paratur:

Cum mala per longas inualuere moras. Ouid.

Caput obiectare periclis. Virg.

Obieci meum caput, pro uestra salute, ciuium furori, ac ferro. Cic. Mihi quaedam occurrunt: sed ea coram. Id. lib. 13. ad Att.

6 In: ut, —— hostis imminet urbi. Virg. Tibi ita insedit illa suspicio, ut nullo modo euelli possit. Cic. pro Milon. Omnibus innatum est,

esse

esse Deos. de Nat. deor. Innitor baculo. inuigilo chartis. illudo uobis.

7 Sub: ut, Saepe solent auro multa subesse mala. Tibull. Succubuit dolori. Cic. de Fin. Subuenisti homini, iam collum in laqueum inserenti. Verren. 6.

8 Prae: ut, Ego meis parentibus uirtute praeluceo. Cic. Praecide tibiipsi licentiam, libertatemq. uiuendi. Id. in Verr. Praeferre salutem reipubl. Suis commodis. Idem.
In perpetuum tibi curiam praeclusisti. Id. in Pis.
Vestrae fortunae meis praecedunt. Plaut. in Asel.
Nulli praeuerto poculum. Id. in Milit.

9 De: ut, Multa petentibus desunt multa. Horat. lib. 3. car. Nobis ingenium non defuit. Cic. 1. de Orat.
Tibi me pater dedo. Terent. in Andr.

10 Re: ut, Diffugere niues: redeunt iam gramina campis, Arboribusq. comae. Horat.
Fratri tuo repugnaui. Cic.

11 Cum: ut, Non omni caussae congruit unum orationis genus. Cic. Consentio tibi. Id. Coniunxit se nobis. Id. Mulier commigrauit uiciniae. Terent.

Quid hic notandum?

Ex his non pauca, cum praepositionibus ante, & prae composita, etiam Accusatiuo iunguntur in eodem significatu: ut, Gracchum aetate antecedit. Cic. Anteeo ceteros. Id. 2. Off. Antecello omnes. Id. Vinum aliud alterum germanitate praecedit. Colum.

Colum.lib.3.cap.2. Appetitus ne praecurrat rationem. Cic.1. Offic. Licet sub paupere tecto reges, & regum uita praecurrere amicos. Horat. Cursuq. pedum praeuertere uentos. Virg. Praeuenire desiderium alicuius; apud Liu. lib.8. ab urb.

IV *Dic tertiam regulam.*

Verbis substantiuis, & tribuendi significationem habentibus, adduntur interdum gemini datiui: quorum personam alter, alter commodum, uel incommodum significat: ut,

Male quod mulier incepit, nisi efficere perpetrat,
Id illi morbo, id illi seni est: ea illi miserae miseria. Plaut.

Sunt exitia rebuspubl. intestinae dissensiones. Cic.
Mihi tua omnia maxime curae sunt. Id.
Quae tum mihi maiori stomacho, quam ipsi Quinto fuerunt. Idem. Ponti, castrisq. praesidio sex cohortes reliquit. Caes. Quas legiones C. Fabius subsidio nostris miserat. Idem.
Vtrum studio id sibi habet, an laudi putat fore, si perdiderit gnatum. Terent. Ea relicta huic arraboni est, pro, illo argento. Id. Tu tibi id laudi ducis. Id. Nec timuit, sibi ne uitio quis uerteret olim. Horat. Fistula Damoetas dono mihi quam dedit olim. Virgil. Cui fauor in Britannicum dabatur crimini. Sueton.

III *Dic quartam regulam.*

Sum, pro habeo, construitur cum datiuo, & nominatiuo: ut,

Sum

Sum tibi Mercurius. Perſ. pro, Habes me Mercurium. Et eris mihi magnus Apollo. id eſt, Habebo te magnum Apollinem. Virgil.

Omnibus hoc uitium eſt cantoribus, inter amicos
Vt numquam inducant animum, cantare rogati:
Iniuſſi numquam deſiſtant. Horat. Id eſt, omnes cantores habent hoc uitium.

Stat ſua cuique dies: breue, & irreparabile tempus
Omnibus eſt uitae; ſed famam extendere factis
Hoc uirtutis opus. Virgil.

An neſcis longas regibus eſſe manus. Ouid.

Adde, quod eſt ſenibus rerum prudentia maior:
Solus, &, artifices qui facit, uſus adeſt. Ouid.

Tecum habita, & noris, quam ſit tibi curta ſupellex. Perſ. Lucanus de Catone. Vrbi pater eſt, urbiq. maritus. id eſt, urbs habet Catonem patrem, & maritum. Eſt mihi nomen Mercurii. Plaut. Eſt mihi nomen Pomponius. Τεχνικῶς. Argentarius Sex. Clodius, cui nomẽ eſt Phormio. Cic. Vide Vall. lib. 3. cap. 19.

IV *Quid hic tenendum?*

Interdum duo datiui adduntur uerbo, Eſt, in hac ſignificatione: ut, Scipio, cui Africano fuit cognomen. Liu. lib. 6. Dec. 4. Cui nunc cognomen Iulo additur. Virgil. 1. Aen. Hecyra eſt nomen fuit fabulae. Terent. Fauſtulo fuiſſe nomen ferunt. Liu. lib. 1. ab urb.

2 Aliquando eſt per Ellipſin omittitur: ut,
Nulla ſalus bello: pacem te poſcimus omnes.
Virgil.

Vna salus uictis, nullam sperare salutem. Id.
Iudicibus lites, aurigae somnia currus. Claudian.

De accusatiuo solo, cum uerbo. Cap. V.

III *Dic primam regulam.*

Verba actiua, & actionem significantia, Accusatiuos adsciscunt: ut,
Sperne uoluptates: nocet emta dolore uoluptas. Ho.
Quidquid habet ortũ, finem timet; ibimus omnes
Ibimus: immensis urnã quatit Aeacus umbris. Stat.
Nulla fides umquam miseros elegit amicos. Luc.
Iracundiam qui uincit, hostẽ superat maximũ. Cic.
Studia adolescentiam alunt: senectutem oblectãt: secundas res ornant: aduersis perfugium, ac solatium praebuit. Id. pro Arch.
Auriculas asini rex Mida habet. Prouerb.
Laudato ingentia rura: exiguum colito. Virgil.
Lactuca somnum facit, aestum refrigerat, stomachum purgat, sanguinem auget, concoctionem adiuuat. Plin. lib. 20. cap. 7.
Actionem significantia: ut, Mulier recte olet, ubi nihil olet. Plaut.
Quincunces, & sex cyathos, bessemq. bibamus:
Caius ut fiat, Iulius, & Proculus. Martial. lib. 11. ep. 37. in nomen C. Iulij Proculi ludens.
Nil profecturis litora bobus arat. Ouid.
Qui Curios simulant, & Bacchanalia uiuũt. Iuuen.

Saepe precor mortem, mortem quoque deprecor idem. Ouid.
Leniter, ex merito quidquid patiere, ferendum eſt;
Quae uenit indigne poena dolenda uenit. Id.
Creſcentem ſequitur cura pecuniam. Horat.
Quem fugiam, habeo: quem ſequar, non habeo. Cic. ad Att. Lapides loqueris. Plaut.

IV *Dic ſecundam regulam.*

Duos accuſatiuos, alterũ perſonae, alterum rei, tranſitiua quaedam actiua adſciſcunt: ut, Doceo te litteras. Salluſt. Quem Minerua omnes artes edocuit. Cic. Princeps eſt uirtutum omnium illa ſapientia, quam Graeci σοφίαν uocant. Id. Dedit filiã Pamphilo uxorem. Terent. Ea ne me celet, aſſueſeci filium. Id. Nulla ſalus bello: pacem te poſcimus omnes. Virgil. Socrates puſionem quendam interrogat Geometrica. Cic. Illi me frumentum flagitabant. Id. Idq. poſtremum parentes ſuos liberos orant. Id. Si te unum illud monuero. Id.

Quid hic obſeruandum?

1 Aliquando pro altero Accuſatiuo, Ablatiuus ponitur, cum praepoſitione: ut, Exiſtimare debes, te maximis de rebus a fratre eſſe celatum. Cic. libro 5. ad Fam. Interrogo te de hac re.

2 Verbum, induo, & exuo, nonnumquam Accuſatiuo, nonnumquam Datiuo perſonae additur: ut, Vallis ſe induebat. Caeſ. Sagunti excidium pia & iuſta nobis arma induit. Liu. Torquem ſibi induit. Cic. 2. de Fin. Humero ſimul exuit enſem. Virg. Humanitatem omnem exuit. Cic.

3 Etiam passiua horum uerborum, admittunt Accusatiuum rei: ut, Cato rogatus sententiam in consulatu. Plin.lib.7.cap.48. Multa extis admonemur. Cic.

Nec tantum segetes, alimentaq. debita diues
Poscebatur humus. Ouid. 1. Metamorph.

Dum mutat cultus, induiturq. togam. Martial.

IV *Dic tertiam regulam.*

Accusatiuo efferuntur nomina temporis: cum significamus durationem, seu continuum tempus: ut, Noctes, atque dies patet atri ianua Ditis. Virg. Annum iam audiuisti Cratippum. Cic. 1. Offic. Septimum iam diem Corcyrae tenebamur. Id. Fuimus una fortasse duas horas. Id. 7. ad Attic.

Quid hic notandum?

Accedunt interdum & praepositiones: ut, Annos ad quinquaginta natus. Cic. Tribunitiam potestatem in quinquennium accepit. Id. Est in diem, quod minitare. Terent. in Eun.

Reddere qui uoces iam scit puer: & pede certo
Signat humum: gestit paribus colludere: & iram
Colligit, ac ponit temere: & mutatur in horam.
Horat.

IV *Dic quartam regulam.*

Vrbium nomina Accusatiuo iunguntur cum uerbis significantibus motum ad locum: ut, Athenas, tamquam ad mercaturam bonarum litterarum, profectus est. Cic.
Noctuas fers Athenas. Prou.
Carthaginem rediit Regulus. Gell.

Quid

IV *Quid huc referendum?*

Imitantur hanc Syntaxin, & haec duo nomina communia: Domus,& Rus:ut,

Veſtras quiſque redite domos. Propert.

Eo rus. Terent. Senex ſe rus abdidit. Id.

2 Interdum, & praepoſitiones adduntur propriis: ut,

Magnum iter ad doctas proficiſci cogor Athenas. Propert. Venit ad Meſſanam. Cic. 7. Verren. Quam maximis itineribus poteſt,in Galliam ulteriorem contendit, & ad Geneuam peruenit. Caeſ.1. de bell. Gall. Linacer putat in his committi Pleonaſmum.

IV *Dic quinctam regulam.*

Spaciorum Nomina Accuſatiuo caſu iunguntur uerbis:ut, Cum tridui uiam proceſſiſſet. Caeſ. Cum abeſſet ab Amano iter unius diei. Cic.In omni uita ſua,quemque a recta conſcientia tranſuerſum unguem non oportet diſcedere. Idem. Cum ab hybernis Ciceronis millia paſſuum quinquaginta abeſſet. Caeſ. Millia paſſuum tria ab eorum caſtris caſtra ponit. Idem.

Dic,quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo:
Tres pateat caeli ſpacium,non amplius,ulnas.

Virgil. 3. Ecl. Millia qui nouies diſtat ab urbe decem. Ouid.

IV *Dic ſextam regulam.*

Decet, oportet, iuuat, delectat, Accuſatiuum perſonae, uel quaſi perſonae exigunt, ſequente fere Infinitiuo:ut,

Candida

Candida pax homines, trux decet ira feras. Ouid. Paruum parua decent. Horat. Laetitia iuuenem, frons decet tristis senem. Senec. Oratorem irasci non decet: simulare non dedecet. Cic. Secundas res decent superbiae. Plaut. Oportet te praeceptis abundare philosophiae. Cic. Neque prudentes suspicari oportet, sibi parum credi: neque improbos scire, sese timeri. Caes. 2. de bell. ciuil.
Scilicet interdum miscentur tristia laetis:

Nec populum toto tempore festa iuuant. Ouid. Multos castra iuuant, lituique. Horat. Me status hic reipubl. non delectat.

Possunt tamen haec exempla etiam referri ad primam capitis huius regulam. Dicimus enim etiam Iuuo, & Delecto. At uerbum Oportet, usus loquendi nimium distorsit.

De ablatiuo cum uerbo.
Cap. VI.

III *Dic primam regulam.*

Quoduis uerbum admittit ablatiuum, significantem Instrumentū, caussam, uel modum agendi.

1 Instrumenti: ut, Arte citae, ueloq. rates, remoq. reguntur: Arte leues currus, arte regendus amor. Ouid. Fertilis assiduo si non renouatur aratro,

Nil, nisi cum spinis gramen, habebit ager. Id. Naturam expellas furca, tamen usque recurret. Horat. Vide Vall. lib. 2. cap. 6.

Caussae:

2 Caussae: ut,

Flectitur obsequio curuatus ab arbore ramus. Oui.
Flectitur iratus uoce rogante deus. Idem.
Luxuriant animi rebus plaerumque secundis:
Nec facile est aequa commoda mente pati. Id.
Inuidus alterius macrescit rebus opimis. Horat.
Oderunt peccare boni, uirtutis amore:
Tu nihil admittes in te formidine poenae. Id.
Pudore prohibitus non feci. Cic.
Vino forma perit: uino corrumpitur aetas;
Vino saepe suum nescit amica uirum. Propert.
Deteriores omnes sumus licentia. Terent.
Laborare febri. laborare oculis, capite, pedibus.
Conflictari graui pestilentia.

3 Modi: ut,

Scilicet aduersis probitas exercita rebus,
Tristi materiem tempore laudis habet. Ouid.
Magis uirtute, quā dolo cōtende. Cae. j. de bel. Gall.
Deorum prouidentia mundus administratur. Cic.
Bellum mira celeritate confectum est. Caes.
Possunt tamen & haec exponi per ablatiuum instrumenti.

Quid hic notandum.

In quibusdam adduntur aliquando, & praepositiones caussales: ut, Laborat ex pedibus: ex renibus. Cic. Sed Latinius dicitur: Scio nos nostris multis peccatis in hanc aerumnam incidisse. Cic. 3. ad Att. quam si dicas, propter nostra multa peccata.

IV *Dic secundam regulam.*

Ablatiuo nomina temporis efferuntur, cum non si-

gnificamus tempus continuum : ut,
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator:
Et graue suspenso uomere cesset opus. Tibull. lib. 2. Eleg. 1.
Puncto temporis, maximarum rerum momenta uertuntur. Liu. li. 3. Saepe in bello paruis momentis magni casus intercedunt. Caes. lib. 1. de bel. ciu.
Nemo mortalium omnibus horis sapit. Plin.
Omnia plenilunio maria purgantur. Idem.
Ego mense Decembri, mei consulatus id feci. Cic. pro Plancio.
Tertio die abs te ad Alyziam accesseram. Cic.
Hora quarta dedi has litteras. Idem.
Longo post tempore uenit. Virg.
Temporibus medicina ualet: data tēpore prosunt,
Et data non apto tempore, uina nocent. Ouidius 1. de Remed.
Tempore difficiles ueniunt ad aratra iuuenci:
Tempore lenta pati frena docentur equi. Id. lib. 1. de Arte. Si quis haec postrema malit ad praecedentem referre regulam, non repugnabo. Quamquam etiam Ellipsis hic uidetur esse, praepositionis comitatiuae cum.

IV *Quid hic notandum?*

1 Poeticum est, Accusatiuo uti in hac forma: ut,
Interea mulier quaedam ab huic triennium,
Ex Andro commigrauit hinc uiciniae. Terent. pro triennio.
Ego istuc aetatis non amori operam dabam. Id.
Si id aetatis solicitassent, pro ea aetate. Liu.

Adhi-

2 Adhibentur interdum etiam Praepositiones: ut, De die epulari. Liu.
Accidit in paucis diebus. Terent.
Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones. Horat.

IV *Dic tertiam regulam.*

Ablatiuo utimur in nominibus urbium, significātes motum de loco: ut, Roma profectus est cum exercitu. Liu. lib. 35. Brundusio naues, legionesq. ad Caesarem ueniebant. Caes. 3. bell. ciu. Cic. 3. Offic. Carthagine rediit Regulus. Interdum accedunt & praepositiones: ut, Discessit a Brūdusio.

IV *Quae huc pertinent?*

Domus, rus, humus: ut,
Venio domo. uideo rure redeuntem senem. Ter.

IV *Quae exciptuntur a regula?*

Vrbium nomina tertiae declinationis, & pluralia tantum, cum efferuntur ablatiuo, significant etiam in loco uersari: ut,
Sepultus esse dicitur Lacedaemone. Cic.
Tacitis regnauit Amyclis. Virg.
Cur isto modo Delphis oracula iam non eduntur? Cic. 1. de Diuin.

IV *Quid hic sciendum?*

1 Quibusdam auctoribus in hac forma, etiam Datiuus placet: ut, Sum Carthagini. Cic. ad Att. Arma comprehensa: familia Neapoli uisa. Caes. 3. bell. ciuil. Potest hic tamen etiam esse ablatiuus. Ruri educatus est. Ter. Ruri se continebat. Id. Forte euenit, ut ruri essemus. Cic. pro Cluen. pro in rure.

2 Addunt etiam praepositiones Latini : ut,
Dum paucos dies ad Vesontionem moratur. Caes.

IV *Dic quartam regulam.*

Repellendi significationem habentia,item aufe rendi,abstinendi, distãdi, Ablatiuos adsciscũt,alias cum praepositione,alias sine praepositione.

1 Cum praepositione : ut,
Natura, non poena debet homines arcere ab iniuria. Cic. de leg.
Ignauum fucos pecus a praesepibus arcent. Virg.
Virginem prohibeamus ab impetu armatorum. Cic.pro Cluent.
Abs quiuis homine,cum est opus,beneficium accipere gaudeas. Terent.
Abstinere manus ab alienis pecuniis. Cic.
Nulla re longius absumus a natura ferarum, quam ratione,& oratione. Idem 1. Offic.

2 Sine praepositione : ut,
Est uirtus, placitis abstinuisse bonis. Ouid.
Vsu urbis prohibere peregrinos, sane inhumanum est. Cic. de Offic.
Est grauius spoliari fortunis, quam non augeri dignitate. Idem pro Planc. Interdixit eis aqua, & igni. Idem. Noli patriam, multis claris uiris orbatam, priuare etiam tuo adspectu. Id.
Demetrius, aspide ad corpus admota, uita priuatus est. Idem pro Rab. Posth.
Et foliis uiduantur orni. Horat. in Odis.
Emunxi argento senes. Terent.
Supersedeas hoc labore itineris. Cic.

Cedere

Cedere uia, curia, templis. Idem ad Octau.
Ego hoc te fasce leuabo. Virgil.
Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis. Hor.

IV *Quid hic notandum?*

Non numquam pro ablatiuo ponitur accusatiuus: ut,
Saeuaq. abhorrebis prisci praecepta Catonis. Catu.
Interdixit histrionibus scenam. Sueton.
Ab uno eo ferrum, ignemq. & uim hostium abstinere iussit. Liu. lib. 23.

III *Dic quinctam regulam.*

Vtor, fruor, fungor, cum compositis, itē potior, uescor, nitor, uictito, uiuo, & gaudeo, ablatiuum adsciscunt: ut,
Laudamus ueteres, sed nostris utimur annis. Ouid.
Vincere scis Hannibal: uictoria uti nescis. Liu.
Vtatur suis bonis; fruatur, qui beatus futurus est. Cic. 1. de Nat. Beati aeuo sempiterno perfruūtur. Id. de somn. Scip. Possunt aliqui oculi non fungi suo officio. Idem.
Gaza omni Macedonum, quae fuit maxima, potitus est Paulus. Id. 1. Off.
Lacte, carne, caseo, uescor. Cic. 5. Tusc.
Virtute decet, non sanguine niti. Claud. Paneg. 7.
Neque multum frumento, sed maximam partem lacte, atque pecore uiuunt. Caes.
Ciuem oportet aequo, & pari cum ciuibus iure uiuere. Cic. 1. Offic.
Gaudet patientia duris. Lucan. lib. 9.
Non boue mactato caelestia numina gaudent.

Sed quae praestanda est, & sine teste, fides. Ouid.
Tanta uaecordia innata cuiquam ut siet:
Vt malis gaudeat: atque ex incommodis
Alterius sua ut comparet commoda. Terent.

IV *Quid huc pertinet?*

Mereor ablatiuum personae postulat, cum praepositione de: ut,
Vos optime de me estis meriti. Cic.
Si bene quid de te merui. Virg.
Male, credo, mererer de meis ciuibus. Cic. 1. de Fin.
Mereri erga aliquem, dixit Plautus in Amph.

IV *Quae excipiuntur a regula?*

1 Quibusdam etiam accusatiuus additur, sed poetice, uel antique: ut,
In prologis scribundis operam abutitur. Terent.
Neque boni, neque liberalis functus est officiũ uiri. Idem. Fortiter malum qui patitur, idem post potitur bonum. Plautus in Asin.

2 Potior, cum uincere, & imperare significat, genitiuum admittit: ut,
Rex meus potitus est hominum. Plaut.
Atheniensium potiti sunt Spartiatae. Cic.
Si eius opidi potitus foret. Sallust.

3 Accedunt quibusdam & praepositiones: ut,
Tu eris unus, in quo nitatur ciuitatis salus. Cic. de somn. Scip. In aliquo ambitio nostra nititur. Id. lib. 1. Fam.

De constructione passiuorum. Cap. VII.

III *Dic primam regulam.*

Passiuorum, & passiue significantium, proprius casus est ablatiuus, ex nominatiuo actiui factus, cũ praepositione a, uel ab: Laudatur ab his, culpatur ab illis. Horat. id est, Hi eum laudant, illi culpant.

Ego quoque a meis me amari, & magni pendi postulo. Terent. id est, ut mei me ament.

Cura ut laudemur, & amemur ab omnibus. Cic. lib. 1. ad Att. id est, ut omnes me laudent, & ament.

Iniuria mihi abs te factum itur. Gell. lib. x. cap. 14.

Hic a te uenit, priusquam Romam ueniret. Ad Herennium.

IV *Quae huc pertinent?*

1 Neutropassiua eodem modo construuntur: ut,

Quanti quisque seipsum facit, tanti fit ab amicis. Cic. in Lael.

Fabricius respondit, se a ciue malle spoliari, quam ab hoste uenire, id est uendi. Quinctil. lib. 12.

2 Quaecumque patiendi in se significationem habent, hanc syntaxin sequuntur: ut,

Anima, quae in pulmones ducitur, calescit ab ipso spiritu. Cic.

Mundus per se, & a se patitur. Idem de Vniuers.

3 Pertinent ad eandem syntaxin, quae, dissimu-

lata praepositione, ponuntur absolute in tertia persona: ut,
Viuitur ingenio: cetera mortis erunt.
Viuitur ex rapto. —— Ouid.
Subaudi, ab hominibus. Scal.c.124. de ca.lin.Lat.
Refer hic, quae supra sunt dicta, in primo cap. huius libri.

IV *Quid excipitur a regula.*

Non raro ablatiuus in datiuum mutatur: ut,
Dis aliter uisum. Virg. pro, a diis.
Nulli exaudita deorum. Id. pro, a nullo.
Pacificatio ista, nec senatui, nec populo probatur. Cic.lib.10.Fam.
Quid quisque uitet, numquam homini satis cautum est in horas. Horat. pro, ab homine.
Restat Chremes, qui mihi exorandus est. pro, a me.

De constructione infinitiuorum. Cap. IIX.

III *Dic primam regulam.*

Infinitiui adduntur uerbis, significantibus qualemcumque uoluntatem, sensum, aut facultatem.

1 Voluntatis: ut, Improbus est homo, qui beneficium scit sumere, & reddere nescit. Plaut.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq. puer, sudauit, & alsit. Horat.
Optat Ephippia bos piger, optat arare caballus. Id.
Scire uolunt omnes: mercedem soluere nemo. Iuu.

Baro,

Baro,regustatum digito terebrare saliuum.
Contentus perges,si cum Ioue uiuere tentas.
Consimilia uerba sunt, cupio, aueo, peto,desidero, amo, constituo,in animo habeo,cogito.

2 Sensus:ut,

Quid te tristem incedere uideo. Terent.
Saluum te aduenire gaudeo. Idem.
Cantando longos memini me condere soles. Virg.
Memini tibi librum afferri. Cic.ad Att.
Memini uidere. Terent. Vide Vall.lib.3.cap.58.
Hanc sibi rem sperant praesidio futurum. Cic. in Verr. non Futuram,si Gellio credimus.

Credo ego, inimicos meos hoc dicturum esse: non dicturos. Nam, Gellio teste, uerba haec sunt Infinitiui modi, quae neque numeris, neque generibus praeseruiunt: Libro 1.Noct.Attic.cap.7. Sicut enim Latine dico, Scio Lucretiam esse castam: fuisse castam: fore castam: ita quoque possum dicere, Scio Lucretiam futuram esse castam: nisi me fallit Gellius, & Gelliana ratio.

Facultatis:ut,

Nec possum tecum uiuere, nec sine te. Martial.
Nequeo mearum rerum ullum initium inuenire idoneum. Terent.
Docuit me fidibus ludere.
Figurate etiam per Ellipsin coniunctionis duo uerba coniunguntur in hunc modum. Velim ignoscas meae festinationi. Cic.ad Lucceium.
Nae tu istas faxo calcibus frustra insultabis. Terent.
Pro,uelim:ut ignoscas. Faxo,quod insultabis.

Sed de Ellipsi in figurata Syntaxi.

IV *Quae huc pertinent?*

Infinitiuus quoque additur uerbis tertiae personae, absolute sine nominatiuo positis: de quibus supra: ut,

Non potest iucunde uiui, nisi cum uirtute uiuatur. Cic. Debet adolescentiam paenitere peccati. Id. Omnia prius consilio, quam armis experiri, sapientem decet. Terent.

IV *Quo modo exponitur hic nominatiuus?*

In uerbis significantibus uoluntatem, aut facultatem, exponitur per coniunctionem: ut, quae caussam finalem significat: ut, Cupio te uidere, id est, cupio, ut, te uideam.

At in uerbis significantibus sensum, fere exponitur, per coniunctionem quod denotantem temporis circumstantiam: ut, Memini uidere, id est, quod uiderim. Credo bonum uirum esse, id est, quod uir bonus sit. Spero confore. Terent. Id est, quod futurum sit.

III *Dic secundam regulam.*

Infinitiui adduntur nominibus tam substantiuis, quam adiectiuis, uoluntatem, aut facultatem significantibus: ut,

Metiri se quemque suo modulo, ac pede, uerum est. Horat.

Turpe reos emta miseros defendere lingua:
Quod faciat magnas, turpe tribunal, opes. Oui.
Rebus in angustis facile est contemnere uitam:
Fortiter ille facit, qui miser esse potest. Martial.

Turpe

Turpe erit in miseris ueteri tibi rebus amico
 Auxilium nulla parte tulisse tuum.
Est facile uincere non repugnantes. Cic.
Quos enumerare magnum est. Cic. in Tusc.
Corrumpi facilis. Tacitus.
Numquam est ille miser, cui facile est mori. Senec.
Animi est ista mollities, non uirtus, inopiam paullisper ferre non posse. Qui se morti ultro offerant, facilius reperiuntur, quam qui dolorem patienter ferant. Caes. lib. 7. de bello Gall.
Nihil est negotii, caussam hanc cognoscere. Cic.
Soli cantare periti. Virgil.
Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci:
 Turpe laborantem deseruisse ratem. Ouid. 2. de ponto.

IV *Quid hic notandum?*

Plaerique infinitiui, cum quocumque nomine coniuncti, aut loco Nominatiui, aut loco Gerundii per Graecismum ponuntur: ut, Cui facile est mori: pro, Cui facilis est mors. Est facile uincere non repugnantes, id est, Victoria, & oppressio non repugnantium, est facilis. Facilis corrumpi, id est, ad corrumpendum, uel corruptu. Dicunt enim Latini: Facile ad credendum est. Cic. 1. Tusc. Facilis, & expeditus ad dicendum. Idem. In suum cuique tribuendo faciles antiqui. Idem.
Horat. Irasci celerem, tamen ut placabilis essem, id est, celerem ad irascendum.
Nihil est negotii cognoscere hanc caussam, id est: Negotium cognoscendi hanc caussam est nullum,

lum, aut paruum.
Cantare periti, pro cantandi.
De Graecismo plura dicemus in Syntaxi figurata.

III *Dic tertiam regulam.*

Accusatiuus est proprius casus infinitiuorum, praecedens eos: & exponi potest per Nominatiuum, adiecta particula quod, uel: ut,
Flagitium est, te alijs consilium dare, foris sapere; tibi te non posse auxiliarier, Terentius, Id est, quod tu aliis consilium das, foris sapis, tibi non potes auxiliari.

Da operam, ut intelligat, diligenter me scripsisse de se, meamq. commendationem sibi magno usui fuisse. Cic. 13. Famil. Id est, quod ego diligenter scripserim; & quod mea commendatio sibi magno usui fuerit.

Qui semel est laesus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unca cibis aera subesse putat. Ouid.

Audio illi iniuriam factum iri. Gell. lib. 10. cap. 14.

IV *Dic quartam regulam.*

Casus sequens Infinitiuum esse, & quae similis sunt constructionis, conuenit cum proximo casu praecedente: ut, Cato esse, quam uideri, bonus malebat. Sallust. Ipsus sibi iniurius esse uidetur. Terēt.
Pro quo sum toties esse coacta nocens. Ouid.
Nam Nominatiuus Nocēs, hic magis a uerbo, sum coacta, dependere uidetur, quam ab infinitiuo esse: ut etiam in aliis. Verbi gratia. Nobis non licet esse tam disertis. Martial. Illis timidis, & ignauis esse licet, qui receptum habent. Liuius lib. 31.

Caue te tristem esse sentiat. Terent.
Linacer in his, quae sequuntur, putat inesse, uel Antiptosin, uel Enallagen: ut sunt,
Phaselus ille, quem uidetis hospites,
Ait fuisse nauium celerrimus. Catull.
Acceptum refero uersibus esse nocens. Ouid.
Tutumq. putauit, Iam bonus esse socer. Lucan. pro, se fuisse celerrimum, me esse nocentem: se iam esse bonum socerum. Nonnulli ad Hellenismum referunt: eo, quod Graeci dicãt, φησὶν αὐτὸς εἶναι αἴτιος.

IV *Quid hic notandum?*

Infinitiuus esse, frequenter, per ἔλλειψιν omittitur: ut, Spero me integritatis laudem consecutum. Cic. Videmur eam famam consecuti: ut non tam ac cessio quaerenda, quam fortuna metuenda sit. Idẽ. Ea certissima putabo, quae ex te cognouero. Idem. Iam sublimem hunc raptum oportuit. Plaut. Nonne praedictum, nonne communicatum oportuit? Terent.

De Syntaxi participiorum. *Cap. IX.*

III *Dic primam regulam.*

Participia imitantur constructionem uerborum suorum: ut,
Pectora nostra duas non admittentia curas. Iuuen.
Spero equidẽ mediis, (si quid pia numina possunt)
Supplicia hausurum scopulis, & nomine Dido

Saepe

Saepe uocaturum. Virg.
Taedas exosa iugales. Ouid.
Accusandus es negligentiae.
Seruiendum est breuitati, uel uetustati. Cic. de Or.
Non Graijs seruitum matribus ibo. Virg. 2. Aeneid.
Vtendum est aetate, cito pede labitur aetas:
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.
Ouid. I graue magnanimi robur mirare Rutili:
Non usi reditus condicione dati. Id. 1. de ponto.
Ea res tum dedit existimandi copiam
Quotidianae uitae consuetudinem. Teret. in And.
Hos accusando, illos occidendo, ciuitatem labefactasti. Cic.
Et coniuratos caelum rescindere fratres. Virgil.
Suetus succedere tecto. Idem.

IV *Quid hic notandum?*

Participia, cum amittunt casus uerborum, degenerant fere in nomina: ut,
Et patiens operum, belloq. assueta iuuentus. Virg.
Viue bidentis amans, & culti uillicus horti. Iuuen.

III *Dic secundam regulam.*

Duo ablatiui designantes consequentiam coniunguntur, alter participii, alter nominis: ut,
Imberbis iuuenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi. Horat.
—— nil non mortale tenemus:
Pectoris exceptis, ingeniiq. bonis. Ouid.
Oppressa libertate patriae, nihil est, quod amplius speremus. Cic.

Nulla dies adeo est Australibus humida nimbis:
Non intermissis, ut fluat imber aquis. Idem.
Nube solet pulsa candidus ire dies. Id.
Beneficio deorum immortalium, & uirtute militum expiato incommodo, neque hostibus diutina laetitia, neque nostris longior dolor relinquitur. Caes. 5. de bello Gali.

IV *Quo modo exponuntur hi ablatiui?*

Per particulas, cum, dum, postquam: ut, Regnante in Italia Saturno, id est, cum regnaret Saturnus in Italia. Hoc consilio inito, id est, postquam hoc consilium esset initum. His rebus constitutis, id est, postquam has res constituisset. Frequens est horum ablatiuorum usus, apud Caesarem, praesertim in transitionibus: ubi ab una facti circumstantia, transit ad narrandam aliam.

IV *Quid hic obseruandum?*

1 Participium interdum in hac forma dissimulatur per Ellipsin: ut,
Tu nihil inuita dices, faciesue Minerua. Horat.
Iudice me, fraus est concessa repellere fraudem:
Armaq. in armatos sumere iura sinunt. Ouid.
Nil desperandum Teucro duce, & auspice Teucro. Horat. Me suasore, atque impulsore factum est. Plaut.

2 Aliquando solum participium ponitur, Nomine per Ellipsin omisso: ut, Audito regem in Ciliciam tendere. Sallust. Permisso, seu dicere prius, seu audire mallet. Liuius lib. 44. De satu arborum abunde monstrato. Plinius.

III *Dic tertiam regulam.*

Praeterita passiua, uulgo dicta supina priora, significant actiue;& aut absolute ponuntur, aut casum sui uerbi adsciscunt:ut,

Spectatum ueniunt,ueniunt spectentur,ut ipse.
Ouid. 1.de arte.Id est,ueniunt,ut spectent.
Spectatum admissi,risum teneatis amici.Horat.Id est,ut spectetis.
Coctum ego, non uapulatum conductus sum.
Plaut. Eo factum iniuriam, id est,ut faciam.
Suspensi Eurypilum scitatum oracula Phoebi
Mittimus:& ut scitetur. Virg.
Legatos ad Iugurtham de iniuriis questum misit. Sallust.

Quid hic notandum?

1 Cum absolute ponuntur,uidentur magis passiue significare: ut, Acriter utrimque pugnatum est,sed,a militibus. Caesar.
Cessatum est satis,scil.a nobis. Terent.
Sicut enim in praesenti dicimus absolute, pugnatur, cessatur, agitur, statur: Ita etiam in praeterito dicendum, pugnatum est, cessatum est,actum est, statum est,&c. Vide Vall.lib.1.cap.28.

2 Interdum participia praeteriti passiui, loco infinitiui ponuntur: ut, Opus est maturato, Liuius Pro maturare. Opus est facto. Terent. Pro facere.
In arcem transcursu opus est. Idē.Pro transcurrere.
Priusquam incipias, consulto: & ubi consulueris, mature opus est facto. Sallust.
Qui rēp.defensam uelint. Cic.ad Att. ꝑ defendere.

Dabo

Dabo tibi hoc effectum, pro iam iam efficiā. Ter. Iam ubi erit inuentum, tibi curabo & adductum tuum Pamphilum. Id. pro, curabo inuenire. Rogatum, & oratum te uolo. pro, oro. uidentur Latini his loquendi formulis Graecorum paullo post futurum expressisse.

IV *Dic quartam regulam.*

Posteriora supina significant passiue: & absolute construuntur, uel cum nominibus significantibus facultatem, aut modum, uel cum uerbis significantibus motum, & passionem: ut,

Paterfamilias primus cubitu surgat: postremus cubitum eat. Columell.

Redeo obsonatu. Plaut.

Turpe quidem dictu, sed, si modo uera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat. Ouid.

Nec ui su facilis, nec dictu affabilis ulli. Virg.

Modus omnibus in rebus est optimum habitu: nimia omnia nimium exhibent negotium. Plaut.

III *Dic quinctam regulam.*

Nominatiui casus gerundia, necessitatem significant; & iuxta se, uel datiuum personae habent, uel casum sui uerbi: ut, Moriendum est omnibus. Cic. 1. Tuscul. Erimus certiores, quid nobis faciendum sit. Id. 14. Famil.

Seruiendum est breuitati. Cic.

Vtendum est aetate. Ouid.

Iteradum eadem ista mihi. Cic. li. 14. ad Att. ep. 12.

Aeternas quoniam poenas in morte timendū. Lucr.

Pacem Troiano ab rege petendum. Virg.

III *Dic sextam regulam.*

Genitiui casus gerundia, sequuntur nomina facultatem, aut uoluntatem significantia: ut,

Carpe cibos digitis: est quidam gestus edendi:
Ora nec immunda tota perunge manu. Ouid.
—— tenet insanabile multos
Scribendi cacoethes, & aegro in corde senescit.
Tẽpore creuit amor, qui nunc est summus habẽdi. Ouid.

Miloni nulla facultas manendi: exeũdi non solum caussa, sed etiam necessitas fuit. Cic.

Commorandi nobis natura diuersorium, non habitandi, dedit. Idem de Senect.

Gratia discendi Athenas missus. Iustin. lib. 17.

Non est hic narrandi locus. Terent.

Cupidus uidendi. Terent.

Certus eundi. Virg.

Studiosus dicendi. Cic.

Peritus cantandi. Imperitus nauigandi.

Adsciscunt & casum sui uerbi: ut,

Ea res tum dedit existimandi copiam.

Quotidianae uitae consuetudinem. Terent.

IV *Quid hic notandum?*

Hellenismus est, infinitiuo uti pro gerundio.

Tuta frequensq. uia est, per amici fallere nomen:
Tuta frequensq. licet sit uia, crimen habet. Oui.

pro, uia fallendi est tuta.

Et nunc tempus equum fumantia soluere colla. Virg. pro, tempus soluendi.

Et cantare pares, & respondere parati. Id. pro, pares

pares cantando, & parati ad respondendum.
Sed haec ad figuratam Syntaxin pertinent.
IV *Dic septimam regulam.*
Datiui casus gerundia absolute iunguntur uerbo substantiuo, significanti facultatem: ut,
Diuites oneri ferendo sunt. Liu. lib. 2. ab urb.
Ferendo honori esse. Id. lib. 4. ab urbe.
Soluendo aeri esse. Id lib. 1. de bello Maced.
Soluendo non erat. Cic. 13. lib. ad Att. ἐλλειπτικῶς.
Aliud emplastrum, eodem nomine, puri medundo est. Celsus.
Telum perfodiendo tergori, quo spiculauit ingenio. Plin. lib. 11. cap. 2. Si quis tamen haec exempla, ad primam regulam de syntaxi nominum, uel ad tertiam regulam tertij capitis de syntaxi uerborum referre malit, ei non repugnabo odiosius.
IV *Dic octauam regulam.*
Accusatiui casus gerundia, praepositione anne-ctuntur nominibus, & uerbis; & uel actiue, uel passiue significant: adsciscuntq. casum sui uerbi: ut,
Locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus. Cic. id est, in quo agatur, in quo dicatur. Surrexi ad dicendum. pro, ut dicam.
— inter agendum,
Occursare capro, cornu ferit ille, caueto. Virg. id est, dum agis.
— namque ante donandum
Ingentes tollunt animos. id est, ante quam donentur. Idem.
In frugibus, pecudibusq. non tantum semina ad

seruandum indolem ualent, quantum terrae proprietas. Liu. lib.48.

IV *Dic nonam regulam.*

Ablatiui casus gerundia, sequuntur uerba, uel cum praepositione, uel sine praepositione: & alias actiue, alias passiue significant: adsciscuntq. casum sui uerbi.

1 Cum praepositione, actiue: ut,

Ex defendendo uberior comparatur gloria, quam accusando. Cic.
Ratio recte scribendi, cũ legendo iuncta est. Quinc.
Ignaui a discendo deterrentur.
Tu quod cogites de transeundo in Epirum, scire uelim. Cic.
Nihil de resistendo cogitabant. Caesar.
Pro uapulando ego abs te mercedem petam. Plau.

2 Sine praepositione, actiue: ut,

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterq. monendo. Horat.
Gutta cauat lapidẽ, non ui, sed saepe cadendo. Oui.
Faciunt nae intelligendo, ut nihil intelligãt. Teren.
Homines nihil agendo, male agere discunt. idest, dum nihil agunt.
Omnia conando docilis solertia uincit. Manil. id est, dum conatur.
Illos accusando, hos occidendo, ciuitatem labefactasti. Cic.

3 Passiue, itidem sine praepositione: ut,

Nihil est, quin male narrando possit deprauarier. Terent.


Curando fieri quaedam maiora uidemus
Vulnera: quae melius non tetigiſſe fuit.
Curando. id eſt, dum curantur.
Carpit enim uires paullatim, uritq. uidendo
Foemina. Virg. id eſt, dum uidetur.
Alitur uitium, uiuitq. tegendo. id eſt, dum tegitur, uel dum nos tegimur. Idem.
Aegreſcitq. medendo. ideſt, dum ſanatur.

Quid hic obſeruandum?

Latini etiam formas gerundiorum, eodem caſu cum nomine, per participium ſolent efferre: ut, Magis dandis, quam accipiendis beneficiis amicitias parabant. Salluſt. pro, dando, & accipiendo beneficia.

In hominum feritate mulcenda, non eadem natura eſt. Liu. lib. 48. pro, in mulcendo feritatem. Gratia ſalutandorum amicorum. pro, gratia ſalutandi amicos.

Poetica ſunt, & inuſitata:
Date creſcendi copiam nouarum. pro, creſcendarũ. Terent. Nominandi iſtorum copia eſt. pro, nominandorum. Vide Vall. lib. 1. cap. 27.





NICODEMI . FRISCHLINI QVAESTIONVM GRAMMATICARVM LIBER . OCTAVVS

De Syntaxi uocum inflexilium, & figurata.



De Syntaxi praepositionum.

Cap. I.

III *Dic primam regulam.*

Praepositiones extra compositionem annectunt uerbis, circumstantiam motus, & quietis: & aliae quidem accusatiuo casu, aliae uero ablatiuo, aliae utroque: ut,

Iliacos intra muros peccatur, & extra. Horat.
Omne superuacuum pleno de pectore manat.
Idem.

III *Quae praepositiones accusatiuo seruiunt?*

Ad, apud, ante, aduersum, cis, citra, circum, circa, circiter, contra, erga, extra, inter, intra, infra, iuxta, ob, per, penes, prope, propter, post, praeter, secundum, supra, trans, ultra.

Da exempla.

Ad: ut, Quod plaerique omnes faciunt adolescentuli: ut animum ad aliquod studium adiungant: aut equos alere: aut canes ad uenandum: aut ad philosophos. Terent.

Non datur ad Musas currere lata uia. Prop.

Apud: ut,

Et bene apud memores ueteris stat gratia facti. Vir.

Ante: ut —— diciq. beatus

Ante obitum nemo, supremaq. funera debet. Oui.

Aduersus: ut,

Ne Hercules quidem aduersus duos. Prouerb.

Cis: ut, Hic primum cis Anienem, cum rege Veientiũ secundo proelio conflixit. Liu. 4. ab urb.

Citra: ut,

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraq. nequit consistere rectũ. Hor.

Circum: ut, Non enim Gazae, neque consularis
Summouet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta uolantes. Idem.

Circa: ut,

Illi robus & aes triplex circa pectus erat:
Qui fragilem truci commisit pelago ratem
Primus: nec timuit praecipitem Africum. Hor.

Circiter:ut, Nos circiter calẽdas, aut in Phormiano erimus, aut in Pompeiano. Cic. ad Att. lib. 2.

Contra: ut, Contra stimulum ne calcitres. Prou.

Erga: ut, Affecti simus erga amicum eodem modo, quo erga nosmetipsos. Cic. de amic.

Inter: ut,

Inter spem, curamq. timores inter, & iram,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.
Horat.

Intra: ut,

Crede mihi, bene qui latuit, bene uixit, & intra
Fortunam debet quisque manere suam. Ouid.

Infra: ut,

Quem ego infra omnes esse puto infimos. Terent. in Eunuc.

Iuxta: ut, Cum lucubrando iuxta ancillas lanam faceret. Liuius.

Ob: ut,

Parcus ob heredis curam, nimiumq. securus
Assidet insano. Horat.

Per: ut,

Impiger extremos currit mercator ad Indos
Per mare, pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.
Idem.

Penes: ut,

Quem penes arbitrium est, & uis, & norma loquendi. Idem.

Prope: ut, Vbi non solum prope me, sed etiã plane mecum habitare posses. Liuius.

Propter: ut,

Aliquid

Aliquid mali propter uicinum malum. Prouerb.
Post: ut,
Venit post multos una serena dies. Tibull.
Praeter: ut, Nihil timere praeter Deum, tutissimus est. Cic. Nihil expetendum praeter uirtutem: nihil fugiendum, praeter uitium. Id.
Secundum: ut, Secundum deos, homines hominibus maxime utiles esse possunt, secundum naturam. Cic.
Supra: ut,
Quae supra nos, nihil ad nos. Prouerb.
Trans: ut,
Caelũ nõ animũ mutãt, qui trãs mare currũt. Hor.
Vltra: ut, Ne sutor ultra crepidam. Prou.
III *Quae praepositiones ablatiuo seruiunt?*
A, ab, abs, absque, clam, coram, cum, de, e, ex, palam, pro, prae, sine, tenus.
IV *Da exempla.*
A: ut,
A cane non magno saepe tenetur aper. Ouid.
Ab: ut, Ab Ioue principium. Virg.
Abs: ut,
Abs quiuis homine, cum opus est, beneficium accipere gaudeas. Terent.
Absque: ut,
Nã si absque eo esset, recte ego mihi prospexissẽ. Id.
Clam: ut,
Peculi, probam nil habere addecet, clam uiro. Plaut.
Coram: ut

Cantabit uacuus coram latrone uiator. Ouid.

Cum: ut,

Damnum appellandum est, cum mala fama lucrum. Plaut.

De: ut, Alter rixatur de lana saepe caprina. Hor.

E: ut, E cantu dignoscitur auis. Prouerb.

Ex: ut, Ex alijs periculum facito, tibi quod ex usu siet. Terent.

Non fit ex quouis ligno Mercurius. Prouerb.

Palam: ut, Inde rem creditori, palam populo, persoluit. Liuius lib. 8. Sed haec uox magis est aduerbium, quam praepositio.

Pro: ut, Facundus in uia comes pro uehiculo est.

Prae: ut, Festiuum caput, qui omnia sibi postputarit esse, prae meo commodo. Terent.

Sine: ut,

Felices obeunt, quorum sine crimine uita est. Iuuen. Nemo sine crimine uiuit. Auson.

Tenus: ut, Est quodam prodire tenus, si non datur ultra. Horat. Id est, aliquo usque.

IV *Quid excipitur?*

Clam etiam accusatiuo, & tenus Genitiuo iunctum inuenies, more Graeco: ut, Clam patrem. Ter. Crurum tenus a mento palearia pendent. Virg.

III *Quae praepositiones utrique casui seruiunt?*

Hae quattuor: In, sub, super, & subter.

IV *Da exempla cum accusatiuo casu.*

In: ut,

In uitium ducit culpae fuga, si caret arte. Horat.

Sub: Tendimus huc omnes, metã properamus ad unam:

Omnia sub leges mors uocat atra suas. Ouid. ad Liu.

Super: ut, Demetrius super terrae tumulum, noluit quid statui, nisi columellam. Cic. de Legibus.

Subter: ut, Angusti subter fastigia tecti
Ingentem Aeneam duxit. Virg.
Super subterq. terram pugnatum est. Liuius.
Subter mediam fere caeli regionem sol obtinet: dux, & princeps, & moderator luminum reliquorum. Cic.

IV *Da exempla cum ablatiuo casu.*

In: ut, Ludit in humanis diuina potentia rebus:

Et certam praesens uix habet hora fidem. Ouid.
Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum. Terent.

Sub: Fuge magna: licet sub paupere tecto,
Reges, & regum uita praecurrere amicos. Horat.

Super: ut, Hic tamen hac mecũ poteris requiescere nocte: Fronde super uiridi. Virgil.

Subter: Ferre libet subter densa testudine casus. Idem.

IV *Quid ad hanc primam regulam pertinet?*

Pertinent huc Nomina propria regionum: quibus aeque, ac Nominibus communibus, praepositiones adduntur: ut, Rediens ex Asia, coepi regiones circum circa prospicere. Famil. lib. 4. epist. 5. In Africa habet negotia, quae tibi commendo. Famil. lib. 12. epist. 25.

Quid

IV *Quid obſeruandum in hac regula?*

Non raro praepoſitiones omittuntur per Ellipſin: ut,

Eſt Deus in nobis, ſunt,& commercia caeli:

Sodibus aetheris ſpiritus ille uenit. pro, e ſedibus. Ouid.

Incultisq. rubens pendebit ſentibus uua. Virgil. pro, in ſentibus.

Mea quidem ſententia: Meo quidem animo. meo iudicio. Subauditur praepoſitio pro.

Italiam fato profugus, Lauinaq. uenit

Littora: pro, in Italiam, in Latium. Virg.

IV *Dic ſecundam regulam.*

Verba aliquando accuſatiuum, aut ablatiuum recipiunt, ui praepoſitionis, cum qua ſunt compoſita: ut, Exeat aula, Qui uolet eſſe pius. Lucan. Haereditatem adijt. Cic. Quas uẽto acceſſerat oras. Virg. Tyriam qui adueneris urbem. Idem.

Omnibus idem animus ſcelerata excedere terra. Virgil. Eiecit eum ſedibus. Cic. Pedem porta non extulit. Suet. Quanta ſpe decidi. Ter.

IV *Quid hic notandum?*

Latini interdum praepoſitiones iterant: ut, Accedo ad pediſſequas. Terent. Noua iſthaec in te inceſſit religio. Idem. Qui in fortunas huius inuaſerat. Cic.

IV *Dic tertiam regulam.*

Praepoſitiones, quando abſolute ſine caſibus ponuntur, ſiunt aduerbia: ut,

Ante lenes ergo paſcentur in aethere cerui. Virg.

Longo post tempore uenit. Id. Coram, quem quaeritis, adsum. Id.

IV *Dic quartam regulam.*

Praepositio interdum casui suo postponitur: quae figura appellatur ἀναστροφή, Inuersio: ut, Italiam contra. Virg. His accensa super. Idem. Me penes est unum uasti custodia mundi. Ouid.

Sic etiam dicuntur per Anastrophen, Mecum, tecum, secum, nobiscum, uobiscum, quibusdam.

De Syntaxi aduerbiorum.
Cap. II.

III *Dic primam regulam.*

Aduerbia subiiciuntur uerbis, & eorum participiis, ad explicandas actionum qualitates, & circumstantias: ut, Bonis quod bene fit, haud perit. Plaut. Sed propera: nec te uenturas differ in horas:

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Ouid. Quo pede coepisti, sic bene semper eas. Idē. Si qua uenit sero, magna ruina uenit. Propert. Festina lente. Prou. Nihil actum est a Pompeio sapienter, nihil fortiter. Cic. ad Att. Suo iudicio ualde sapiens. Idem 1. de Orat.

IV *Dic secundam regulam.*

Adiiciuntur etiam nominibus aduerbia, significationem intendendi, & remittendi habentia: ut, Homo apprime nobilis. Terent.

Nimium uehemens in utramque partem. Idem.

Rex insigniter impudens. Cic.
Facile miserrimus hominum. Idem pro Rosc.
Admodum anus. Sic in quibusdam pronominibus: ut, ipse adeo.

IV *Quae huc pertinent?*

Aduerbia eo quo, hoc, tanto, quanto, multo longe, facile, nihilo, paullo, Nominibus comparatiuis, & superlatiuis iunguntur: ut,

Quo quisque est maior, magis est placabilis irae:
Et faciles motus mens generosa capit. Ouid.
Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.
Quo quisque est doctior, hoc docet laboriosius.
Cic. Omne animi uitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur, Iuuenal.
Multi pauciores oratores, quam boni poetae reperiuntur. Cic.
At pedibus longe melior Lycus. Virg.
Totius Graeciae facile doctissimus. Cic. pro Rab.
In meo reditu nihilo meliores res domesticas, quã rempubl. offendi. Idem.
Si qua est paullo habitior. Terent.

Cum superlatiuis: ut,

Tanto pessimus omnium Poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus. Cato.
Longe omnium uir praestantissimus. Quinctil.
Conspectus uester mihi multo iucundissimus. Cic.

IV *Quid praeterea ad hanc regulam pertinet?*

Nonnumquã in hac forma, Aduerbiũ cohaeret Aduerbio: ut, Fere libẽter homines id, quod uolunt,

credunt. Caes. 4. bell. Gall. Parum caute fecisti. Nimis stolide.

IV *Dic tertiam regulam.*

Aduerbia deriuata plaerumque primitiuorum constructionem sequuntur: ut,

Scilicet ingenium placida mollitur ab arte:

Et studio mores conuenienter eunt. Ouid.

Viuere naturae nos conuenienter oportet. Horat.
Conuenienter naturae uixit. Cic. 3 Offic.
Obuiam illi processimus. Idem 2. Philip.
Propius urbem castra mouit. Idem ad Oct.
Habet exercitum proxime castra. Idem 6. Attic.
Virgilius tamen, Propius stabulis, dixit.
Melius illo cecinit. Expeditius ceteris loquitur.
Pulcherrime omnium fecit. Valla lib. 2. cap. 12.
Interdum exponitur comparatiui deriuatum, per particulam quam: ut,

Mitius ille perit, subita qui mergitur unda:

Quam sua qui liquidis brachia lassat aquis. Oui.

Non minus in milite modestia, & continentia, quã uirtus, atque animi magnitudo requiritur. Caes. libro 7.

IV *Dic quartam regulam.*

Aduerbia, quae significant locum, tempus, & excessum, aut defectum, admittunt Genitiuum: ut, Nusquam gentium. Terent. Vbicumque terrarum. Cic. 6. Verre. Interea loci. Terent. Pridie, uel postridie eius diei. Cic. & Caesar. Postridie nonarum. Cic. Eo insolentiae processit. Plin. Quoad eius fieri potest. Cic. Huc dementiae peruenit. Idẽ.

Satis eloquentiae, sapientiae parũ. Gell. ex Sallust.
Terrorum, & fraudis abunde est. Virg.
Se iã pridem, potẽtiae, gloriaeq. abunde adeptum. Suet. in Caes. cap. 86.

IV *Quid hic notandum?*

Pridie, & postridie non numquam etiam accusatiuo seruiunt: ut, pridie parilia. Liuius lib. 49. Pridie compitalia. Cic. ad Att. Pridie nonas Iunij, cum essem Brundusij, litteras tuas accepi. Id. Postridie idus rebus diuinis supersederi iussum est. Liu. lib. 6. Valla lib. 2. cap. 10. Linacer in his putat uel Enallagen esse, uel Ellipsin praepositionum, ante, & post. Gellius quoque partim hominum uenerunt, credit dici, pro pars hominum. lib. 10. cap. 13.

IV *Dic quinctam regulam.*

Aduerbia interrogandi, posita interrogatiue, postulant fere indicatiuum: posita indefinite requirunt subiunctiuum: ut,

Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit.
Virgil.
Quid tibi saeuitiae mecũ est? an gloria magna est,
Insidias homini composuisse Deum? Tibul.
Cur aliquid uidi, cur noxia lumina feci? Ouid.
Vacca sit, an taurus, non est cognoscere promtum.
Idem in Fast.
—— teipsum
Concute, num quam tibi uitiorum inseuerit olim
Natura. Hor. 1. lib. 1. Serm. Sat. 3.
Lydia dic per omnes
Te deos oro, Sybarim cur properes amando

Perdere: cur apricum
Oderit campum, patiens pulueris, atque solis:
Cur neque militaris
Inter aequales equitet: Gallica nec lupatis
Temperet ora frenis.
Cur timet flauum Tiberim tangere? cur oliuum
Sanguine uiperino
Caussis uitat? &c. Horat.

Poetae tamen haec non semper obseruant.

IV *Dic sextam regulam.*

Degenerant in aduerbia, nomina adiectiua, posita genere neutro: ut, Sole recens orto. Virg. Horrendũ clamat. Id. Nec sera comãtẽ Narcisũ. Id.
At fessi tandem ciues, infanda furentem
Armati circumsistunt. Id.

III *Dic septimam regulam.*

Ne aduerbium negandi, seu prohibendi, alias imperatiuo, alias subiũctiuo gaudet: ut, Ne nega. Ter.
Tu ne cede malis, sed contra audientior ito:
Quam tua te fortuna sinet. Virg.
O formose puer, nimium ne crede colori. Idem.
Ne fueris hic tu. Horat.
Istuc ne dixis. Plaut. pro, ne dixeris.

Quid hic sciendum?

Ne aduerbium infinite positum solo subiunctiuo additur: ut,
Qualẽ cõmendas, etiã atque etiam adspice: ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem. Horat.
Veritus sũ, ne idẽ faceres, quod uulgus seruorũ. Ter.

De Syntaxi coniunctionum.
Cap. III.

III *Dic primam regulam.*

Coniunctio, aut similia coniungit, aut noua superioribus attexit: ut,

Nox, & amor, uinumq. nihil moderabile suadent:
Illa pudore uocat, liber, amorq. metu. Ouid.
Tempora labuntur, tacitisq. senescimus annis:
Et fugiunt freno non remorante dies. Idem.
Aut prodesse uolunt, aut delectare Poetae,
Aut simul & iucunda, & idonea dicere uitae. Hor.
A. Fusius homo eruditus, & summa humanitate, tuaq. amicitia dignissimus. Cic.
Non desistam te & hortari, & orare, & accusare, & monere. Id.
Nec tu faceres, nec ego permitterem. Ter.
An quod uiam ignorant: an, quod iter perferre nequeunt. Terent.
Multum cum in omnibus rebus, tum in re militari fortuna potest. Caes.

III *Dic secundam regulam.*

Vt Coniunctio caussalis, & quae similem uim habent, subiunctiuum adsciscunt: Si praesens uerbum praecedat, praesens subiūctiui erit: Sin praeteritum praecesserit, subiunctiuum in praeterito imperfecto ponetur: ut,

Tolluntur in altum, Vt lapsu grauiore ruant. Clau.

Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones.
Vt te ipsum serues, non expergisceris. Horat.
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit.
Si modo culturae patiētem commodet aurē. Id.
Consueuere dij immortales, quo grauius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci uelint: iis secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere. Caes. lib. 1. bell. Gall.
Nulla res tam facilis est, quin difficilis fiet, quam inuitus facias. Terent.
Nihil tam difficile est, quin inquirendo inuestigari possit. Idem.
Neque id feci, quo tibi molestus essem. Plin.

IV *Quid hic notandum?*

1 Interdum per Ellipsin coniunctio ut omittitur; ut, Caue dixeris, uelim cogites. Linacer lib. 6.
Promittas facito; quid enim promittere laedit?
Pollicitis diues quilibet esse potest.

2 Praecedenti perfecto, non semper respondet imperfectum subiunctiui: sed saepenumero praesens: ubi nimirum res adhuc geritur: ut,
Orare iussit hera, ad se ut uenias. Terent.
Tantum ad amorem eum, quem erga te habebam, accessit: ut mihi nunc denique amare uidear, antea dilexisse. Cic.
Idem fit in re praeterita: ut, Metuo, ut feceris. Vereor, ne te offenderim.

IV *Dic tertiam regulam.*

Quod coniunctio caussalis, pro quia usurpata, cum

cum indicatiuo, & subiunctiuo construitur. pro cur, seu quamobrem usurpata, soli subiunctiuo iungitur: ut,

Quod ad me scribis de Hermagora, per mihi gratum est. Cic. ad Att.

Tibi gratias ago, quod me uiuere coegisti. Id.

Mihi, quod defendissem, leuiter succensuit. Plin.

Si ad uitulam spectes, nihil est, quod pocula laudes. Virg.

In uiam quod te des hoc tempore, nihil est. Cic.

Quae est differentia inter Quod, & Vt coniunctiones?

Vt significat caussam finalem, propter quam aliquid suscipitur. Intelligitur enim de re gerenda, & futura: Hortaris me, ut ueniam. Cic. Fac ut intromittar. Ter. Quod significat caussam efficientem, seu impulsiuam: diciturq. de re gesta, & praeterita: ut, Quod conualuisti, gaudeo. Cic. Quod nos inuisis, gratum facis. Valla lib. 2. cap. 37.

Quid significat Vt, & Ne, post uerba metuo, timeo, uereor, & similia?

Vt negatiue, ne autem affirmatiue accipitur, post haec uerba, metuo, timeo, uereor. ut apud Ter. Metuo, ut substet hospes. negatiue: timet enim hospitis inconstantiam. Vereor, ne mihi illudas. affirmatiue. Timet enim illusionem. Metuo, ut obedias. Metuo, ne obedias. Priori forma significatur metus inobediētiae: posteriori, metus obediētiae.

IV *Dic quartam regulam.*

Etsi, tametsi, quamquam, quoniam, & quando-

quidem, indicatiuis adhaerent: quamuis & licet, alias indicatiuo, alias subiunctiuo gaudent. Vall. lib.2.cap.21.ut, Etsi nihil noui afferebatur. Cic. Etsi uereor iudices. Idem.

Tametsi quid homini maius dari potest, quam gloria. Id. Tametsi uicisse debeo, tamen de meo iure decedam. Id. Quamquam frequens conspectus uester, mihi multo est iucundissimus. Idem.

Quamuis ille niger, quamuis tu candidus esses. Virg.

Fixerit aeripedem ceruam licet. Virg.

IV *Quid hic notandum?*

Obseruandae sunt cõiunctiones sibi inuicem respondentes: ut sunt, Quamquam, etsi, quamuis, licet, tametsi, quibus respondet tamen: nisi exceptiuarum loco positae reperiantur: ut,

Quamuis est igitur meritis indebita nostris,
Magna tamen spes est in bonitate Dei. Ouid.

Notantur & haec, non solum, non modo, nõ tantum: quibus respondet, sed etiam, uerum etiam. Item cum, & tum; &, uel, an, saepius iteratae. De quibus uide Vall.lib.2.cap.17.18.22.

Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem:
Verum etiam instanti laesa repugnat ouis. Propert. lib.2.

IV *Dic quinctam regulam.*

Ni, nisi, si, sin, siquidem, etiamsi, quia, quippe, & similia, modo indicatiuis, modo subiunctiuis adhaerent: ut,

Si fortuna uolet, fies e consule Rhetor. Iuuen.

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed nos
Te facimus fortuna deam, caeloq. locamus. Id.
Homine imperito numquam quidquam iniustius:
Qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat. Ter.
Frangit, & attollit uires in milite caussa:
Quae nisi iusta subest, excutit arma pudor. Ptop.
Ipse licet uenias Musis comitatus, Homere;
Si nihil attuleris, ibis Homere foras. Ouid.

Si illum relinquo, eius uitae timeo: sin opitulor, huius minas. Terent.

Si animus hominis perpulit, actum est: si animo seruiuit, non sibi: Si ipse animum perpulit, dum uiuit uictor uictorum cluet. Plaut.

Quod si deficiant uires, audacia certe
Laus erit: in magnis & uoluisse sat est. Propert.

Diomedes affirmat Coniunctionem Si, cum indicatiuo construi: quando certam actioné significat: ut, Si fecisti, nega. Cum subiunctiuo, quando incertam, & condicionalem: ut, si parueris medico, ualebis. Siquidem, quando una est dictio, & certe significat, postulat indicatiuum; quando duae dictiones, requirit subiunctiuum. Valla lib. 2. cap. 25.

Siquidem atrocius est, patriae parentem, quam suum occidere. Cic.

Quae mihi uentura est, siquidem est uentura senectus. Ouid.

Hoc siquidem solo ciuilis crimine belli
Dux caussae melroris eris. Lucan.

Siquidem Hercle mihi regnum detur, numquam id potius persequar. Terent.

IV *Quid hic notandum?*

Coniunctio Si interdum per ellipsin omittitur: ut

Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare haberes. Virg. pro, si sineret.

Graeculus esuriens, ad caelum iusseris, ibit. pro, si iusseris. Iuuen.

De Syntaxi interiectionum.
Cap. IV.

IV *Dic primam regulam.*

Hei, hem, & uae, Datiuum postulant: ut,

Hei mihi, qualis erat; quantũ mutatus ab illo. Virg.

Hem tibi. Plaut. Hem Dauum tibi. Terent.

Vae capiti tuo. Plaut. Vae misero mihi. Terent.

IV *Dic secundam regulam.*

Heu, proh, ah, en, & ecce, modo accusatiuo, modo nominatiuo iunguntur; ut,

Heu stirpem inuisam. Virg.

Heu pietas, heu prisca fides. Idem.

Proh Deum, atque hominum fidem. Ter.

Proh Iuppiter. Id. Ah me miseram. Id.

Ah uirgo infelix. Virg.

Ah nimium faciles: qui tristia crimina caedis,
Flumina tolli posse putatis aqua. Ouid.

Ah miser, & si quis primo periuria caelat;
Sera tamen tacitis poena uenit pedibus. Tibull.

En tectum, en tegulas, en obductas fores. Plaut.

En Priamus. Virg. En crimen, En caussa, cur seruus dominum accusat. Cic.
Ecce miserum, si dolor est summum malum. Cic. 2. de Finibus.
Ecce noua turba, atque rixa. Idem 6. Verr.
Nonnumquam etiam datiuus accedit: ut, Ecce tibi eiusmodi sortitio, Pro Cluent. Idem.

IV *Dic tertiam regulam.*

O exclamandi particula, modo nominatiuum, modo uocatiuum, modo accusatiuum adsciscit. Valla lib. 2. cap. 13. ut,
O fortunati, quorum iam moenia surgunt. Virgil.
O Nonae illae Decẽbres, quae me cõsule fuistis. Cic.
O nox illa, quae paene aeternas huic urbi tenebras attulisti. Idem.
O miseras hominum mẽtes, o pectora caeca. Lucr.
O fortunatos nimium, bona si sua norint,
Agricolas. Virgil.
O faciem pulcram. Terent.
O Daue, ita ne contemnor abs te. Idem.

IV *Quid hic notandum?*

Aliquando O per Ellipsin omittitur: ut,
Hominẽ te patientẽ, uel potius durũ. Pli. ad Octau.
Indignum facinus, & hominem nequam: qui non dubitarit, in foro alea ludere. Cic.

2 Nonnumquam sine uerbis, & nominibus, unde pendeant, inserũtur interiectiones orationi: ut,
Eheu, quid uolui misero mihi? Virg.

IV *Dic quartam regulam.*

Vtinam, & o, optandi particulae, soli subiuncti-

uo adhaerent: ut, Proloquar, atque utinam patriae sim falsus haruspex.
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis. Prop.
O mihi praeteritos referat si Iuppiter annos. Virg.

De figurata syntaxi nominum.
Cap. V.

IV *Quot sunt figuratae syntaxes nominum?*

Quattuor. Appositio, synthesis, zeugma, & syllepsis.

IV *Quid est appositio?*

Figuram appositionem dixere Grammatici: quando duo substantiua, eandem rem significantia, ponuntur in eodem casu: quorum alterum additur alterius declarandi gratia: ut, Vrbs Roma: Flumen Rhenus.
Effodiuntur opes irritamenta malorum. Ouid.
Et genus, & formam regina pecunia donat. Horat.
Masculus, & totum femina coniugium. Propert.

De hac constructione supra monui, in syntaxi uerbi substantiui. Caussa uero, propter quam duo substantiua non ponuntur absque copula, reddi potest e philosophia: quoniam duo numquam possunt esse unum substantialiter. Sed in his tamen, quae per appositionem iungi dicuntur, semper alterum rationem generis obtinet, siue uniuoci, siue aequiuoci: ut, Vrbs Roma, id est, Roma, quae est urbs: Flumen Rhenus, id est, Rhenus, qui est flu-

men : regina pecunia, id est, pecunia, quae est regina, & domina : opes irritamenta, quae sunt irritamenta malorum.

IV *Quid est synthesis?*

Synthesis, Latine compositio, est, cum nomini multitudinis singulari, seu collectiuo subiicitur adiectiuum plurale. Figura magis poetica, quam Grammatica: ut,

Pars uolucres factae. Ouid. 4. Metamorph.
Hic manus, ob patriam pugnando uulnera passi. Virgil.
Fumat uterque polus: quos si uiolauerit ignis. Ouid.
Gens uniuersa Veneti appellati. Liuius.
Linacer lib. 6. Vocat Syllepsin.

IV *Quid huc pertinet?*

Est & illa synthesis, cum substantiuo qualicumque, adiectiuum diuersi generis subiicitur, quod ad intellectum, non ad uocem, refertur: ut,

In Eunuchum suam. Terent. intelligitur, fabulam.
Centauro inuehitur magna. Virg. subauditur, naui.
Samnitum caesi tria millia. Liuius.
Duo millia crucibus affixi. Curt. Constructio refertur ad homines.
Scelus postquam ludificatus est uirginem. Terent.
Dulce satis humor. Virgil. Id est, humor est res dulcis segetibus.
Turpe senex miles, turpe senilis amor. Ouid.
Fama malum, quo non aliud uelocius ullum,
Mobilitate uiget. Virg.

Quid

IV *Quid est Zeugma?*

Zeugma, Latine Iugatio, est, cum diuersis substantiuis adiectiuum iungitur: quod cum propiore tantum consentit: ut,

Et genus, & uirtus, nisi cum re, uilior alga est. Hor.

Sociis, & rege recepto. Virgil.

Caper tibi saluus, & haedi. Idem.

Mihi non datum est forum, non campus, non curia, non domus, non lectus. Cic. in Cat.

IV *Quid est syllepsis?*

Syllepsis Latine conceptio, est, quando pluribus substantiuis diuersorum generum, subiicitur unũ adiectiuum plurale, quod digniori respondet in genere: ut,

Mulciberis capti Marsq. Venusq. dolis. Ouid.

Fors eadem Ismarios Hebrum cum strymone siccat. Idem.

Domus, uxor, liberi, inuenti, inuito patre. Terent.

Opera munitionesq. esse perfectas. Caes.

Caesosq. reportaret Almonem puerũ, foedatiq. ora Galesi. Virg. Masculinum dignius est foeminino.

IV *Quid huc pertinet?*

Est & illa syllepsis, cum duobus, uel pluribus substantiuis rerum inanimatarum, adiectiuũ subiicitur plurale neutrum: ut, Tempus, & ratio administrandi belli, libera praetori permissa sunt. Liuius.

Nox, & praeda hostem remorata sunt. Sall.

Non difficillima curatio est, si imperata sint corpori sitis, quies, inedia. Cels.

Diuitiae, decus, & gloria in oculis sita sunt. Sall.

Genus,

Genus, aetas, eloquentia, prope paria fuerunt. Id. Fregellis murus, & porta de caelo tacta erant. Liu. Vt operam, ſtudium, conſilium, rem, fidem meam, ſibi ad omnes res parata putent. Cic.

—— Cum Daphnidis arcum
Fregiſti, & calamos: quae tu, peruerſe Menalca,
Et cum uidiſti, puero donata dolebas.

Quid praeterea hic ſciendum?

Syllepſis caſuum eſt, cum nomen reſpōdet praecedenti relatiuo, non ſequenti uerbo, contra analogiam. Alii antiptoſin uocant: ut,

Vereor, ne quos porrexerim cibos, uenena fiunt. Quinctil.

Populo ut placerent, quas feciſſet fabulas. Terent.

Naucratem, quem conuenire uolui, in naui non erat. Plaut.

Vrbem, quam ſtatuo, ueſtra eſt. Virg.

De figurata uerborum ſyntaxi. Cap. VI.

IV *Quod ſunt figurae ſyntaxeos uerborum?*

Quattuor. Syntheſis, Zeugma, Syllepſis, & Prolepſis. Euocationem nullam eſſe docet Scaliger cap. 179.

IV *Quid eſt ſyntheſis uerborum?*

Syntheſis, Latine compoſitio, eſt, cum nomini multitudinis ſingulari reſpondet uerbum plurale. Itidem magis poetica, quam Grāmatica figura: ut,

Pars

Pars epulis onerant mensas. Virgil.
In magnis laesi rebus uterque sumus. Ouid.
In muros pro se quisque armati concurrunt. Liu.
Aperite, ac dudum aliquis ostium. Terent. Nisi scripsisse putem Terentium, aperito.

IV *Quid est Zeugma?*

Zeugma est, cum, multis substantiuis inter se iunctis, unum uerbum additur, quod cum propiore, in numero, aut persona consentit, siue id fiat ab initio, siue a medio, siue a fine constructionis: ut,

Attenuant iuuenum uigilatae corpora noctes,
Curaque, & immenso, qui fit amore, dolor. Oui.

Semper honos, nomenq. tuum, laudesq. manebunt. Virgil.

Hic illius arma, hic currus fuit. Idem.

Quamuis ille niger, quamuis tu candidus esses. Id.
—— nihil hic, nisi carmina desunt. Idem.

IV *Quid est Syllepsis?*

Syllepsis est, cum multis substantiuis inter se iunctis, respondet unum uerbum digniori, uel in numero, uel in persona

In numero: ut,

Dum fata, Deusq. sinebant. Virgil.
—— non uultus, non color unus,
Non comtae mansere comae. Idem.

In persona: ut,

Ego, & Balbus sustulimus manus. Cic.

Spolia ampla refertis Tuq. puerq. tuus. Virg.

Nam pluralis numerus praestat singulari: prima persona, secundae: secunda, tertiae.

Quid

IV *Quid hic notandum?*

Nonnumquam ſyntheſis, & ſylleplis concurrunt: ut, Quiſque ſuos patimur manes. Virg.

IV *Quid eſt Prolepſis?*

Prolepſis eſt, cum toti ſubiiciuntur partes, numeris, aut perſonis diuerſis, uerbo non repetito: ut,
Compulerantq. greges Corydon, & Thyrſis in unũ:
Thyrſis oues, Corydon diſtentas lacte capellas.
Virgil.
Curemus uterque aequam partem: tu alterum, ego item alterum. Terent.
Ego uapulando, ille uerberando, uſque ambo defeſſi ſumus. Idem.

De figuris communibus.
Cap. VII.

IV *Quot ſunt figurae ſyntaxeos, communes omnibus dictionibus?*

Quattuor. Ellipſis, Pleonaſmus, Helleniſmus, & Archaiſmus.

IV *Quid eſt Ellipſis?*

Ellipſis eſt, cum aliquid in oratione omittitur, ſed eleganter: ut,
Sed uos qui tandem. Virg. ſubaudi, eſtis.
Quid multa? ſcilicet, dicam.
Haec ſecum. Virgil. ſcilicet, dixit.

De huius figurae ſpeciebus fere in ſingulis capitibus dictum eſt.

Quid

IV *Quid pertinet ad Ellipsin?*

Aposiopesis, Latine reticentia: cum aliquod uerbum ex affectu supprimitur, ac reticetur: ut,

Quem quidem ego si sensero. Sed quid opus est uerbis? Terent.

Quos ego. Sed motos praestat componere fluctus. Virgil.

Quamquam o, sed superent, quibus hoc Neptune dedisti. Idem.

Quomodo uocatur Ellipsis coniunctionum?

Asyndeton.

IV *Quid est Asyndeton?*

Asyndeton est, cum multa sine coniunctione cohaerent: ut,

Ite citi, ferte flammas, date tela, impellite remos. Virgil.

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis. Idem.

IV *Quid est Pleonasmus?*

Pleonasmus, figura Ellipsi cōtraria, est, cum uox aliqua in oratione redundat, sed eleganter: ut,

Diem dicunt, quo die ad ripā Rhodani conuenire omnes oporteret. Caesar lib. 1. de bell. Gall.

Diem instare, quo die frumentum militibus metiri oporteret. Idem.

In castris Heluetiorum, tabulae repertae sunt: quibus in tabulis numerus continebatur. Idem.

Vltra eum locum, quo in loco Germani consederant. Idem. Erat hic dies 7. idus, quo die suspicabamur. Cic. 9. ad Att. 3.

IV *Quo modo uocatur Pleonasmus coniunctionum?*

Polysyndeton.

IV *Quid est Polysyndeton?*

Est, cum singulae coniunctiones, praesertim copulatiuae, & aduersatiuae, singulis dictionibus adduntur: aut alioquin redundant: ut,

Frigore, & fame, ac siti, & uigiliis perferendis. Cic. in Cat.

Mecum honor, & laudes, & laeto gloria uultu,
Et decor, & niueis uictoria concolor alis. Sil.

Vt ne impune in me illuseris. Terent. Redundat coniunctio Vt, per pleonasmum.

IV *Quid est Hellenismus?*

Hellenismus siue Graecismus, est constructio Graeca: in qua dictio non iungitur ei casui, quem Latina proprietas requirit: ut,

Non datur ad Musas currere lata uia. Prop. Pro, currendi. Coepto pugnemus amori. Virgil. Pro, cum amore. Desine curarum. Horat. Alium sapiente bonoque. Id est, a sapiente.

IV *Quid praeterea hic notandum?*

Est & Graecismus, cum adiectiuo neutri generis, additur genitiuus, tamquam substantiuo: ut,

Aliquid mali, propter uicinum malum. Terent.

Plus aloes, quam mellis habet. Iuuen.

Numquam ita quisquam bene subducta ratione ad uitam fuit,
Quin res, aetas, usus, semper aliquid apportet noui. Terent.

Grammatici hanc formam Atticiſmum uocant: propterea,quod Attici ea frequenter uſi fuere.

2 Non diſſimilis Graeciſmus eſt, Adiectiuo addere genitiuum partitiue poſitum:ut,

Nigrae lanarum nullum colorem bibunt.Plin. Plani piſcium.Idem. Ouorum oblonga. Idem.

3 Graeciſmus eſt etiam, Infinitiuo uti pro gerundio: quemadmodum ſuo loco monuimus. Qui plura de his cupiet ſcire, is legat Linac. lib. 6.

IV *Quid pertinet ad Helleniſmum?*

Synecdoche, Latine Comprehenſio.

IV *Quid eſt Synecdoche?*

Synecdoche eſt, cum adiectiuo nomini, aut uerbo paſſiuo additur accuſatiuus, ſignificans partem: ut, Nuda genu, nodoq. ſinus collecta fluentes. Virg. Expleri mentem nequit, ardeſcitq. tuendo. Idem.

IV *Quid hic notandum?*

Videntur & illa dici κατὰ συνεκδοχήν: Remittimus hoc tibi: ne uicem noſtram iraſcaris. Liuius. pro, noſtri cauſſa.

Qui hodie ſeſe excruciari meam uicem poſſit pati. Plaut.

Neque multum frumento, ſed maximam partem lacte uiuunt. Caeſar. Magnam partem ex Iambis conſtat noſtra oratio. Cic.

IV *Quid eſt Archaiſmus?*

Archaiſmus eſt obſoleta, & uſu antiquata conſtructio: ut, Menedemi uicem me miſeret. Terent. Opus eſt illi uiaticum. Plaut. Ita quidem uobis decet. Terent. Quid tibi huc reditio eſt. Idem.


Multi

Multi more isto, atque exemplo uiuunt, quos cum censeas Tibi amicos, reperiuntur falsi falsimoniis, Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide. Plaut. in Bacchid.
Vbi ad paupertatem accessit infamia,
Grauior paupertas fit, fides sublestior. Id.
Vbi me uidet in tantum honorem: pro, in tanto honore. Terent.

Quid amplius restabat dicendum?

Dicendum quoque erat de uitiis, quae cum recta loquendi ratione pugnant: ut sunt, Synchysis, Barbaralexis, Hyperbaton, & similia. Cuiusmodi est illa synchysis apud Priscianum lib. 14. Tam a poetis, quam a sine metro scribentibus. Ibid. Tam apud poetas, quam apud sine metro scribentes. Confusa est oratio, quae plenior fiet, si dicatur: quam scribentibus sine metro. quam apud scribentes sine metro. Vel: quam apud eos, qui sine metro scribunt. Ciceronis exemplum, quod ex lib. 2. ad Att. affertur, suspicor esse mendosum.


Soloecismus quid sit, & qualis dictio, explicat Gell. lib. 5. cap. 20.





EXAMEN·PROSODIAE SECVNDVM

ARTIS. HVIVS PRAECEPTA



POEDAGOGVS. *Pronuncia hunc uersum Virgilij, Puer, ex secunda Ecloga: O formorse puer, &c.*

DISCIP. O formose puer, nimium ne crede colori.

P. *Quid est pronunciare?*

D. Est syllabas recte efferre, obseruato illarum natiuo accentu.

P. *Metire nunc eundem, recensendo pedes, & negligendo natiuum accentum.*

D. O for móse pu ér, nimi úm ne créde co lóri.

P. *Quot sunt pedes huius carminis?*

D. Sex.

P. *Quo modo uocatur hoc carmen?*

D. Hexametron, quia sex pedibus, seu decursionibus constat.

P. *O for. qualis pes?*

D. Spondaeus.

P. *Quare?*
D. Quia conſtat duabus ſyllabis longis.
P. *Unde ſcis primam ſyllabam eſſe longam?*
D. Primum ex regula: Monoſyllaba fere producuntur. Deinde etiam ex deriuatione. Nam O Latinum, Interiectio eſt Graecorum ὦ.
P. *Sed unde ſcis poſteriorem eſſe longam?*
D. Ex poſitione longae ſyllabae.
P. *Quae eſt illa poſitio?*
D. Cum duae conſonantes, aut una duplex, ſequuntur unam uocalem, ut hic poſt o ſequuntur r, & m.
P. *moſe pu, qualis eſt pes?*
D. Dactylus.
P. *Quare?*
D. Quia conſtat tribus ſyllabis. prima longa; poſterioribus duabus breuibus.
P. *Vnde ſcis primam eße longam?*
D. Ex regula: Nam denominatiua nomina in oſus, paenultimam habent natura longam.
P. *Vnde ſcis ſecundam eſſe breuem?*
D. Itidem ex regula, ſeu terminatione.
P. *Dic regulam.*
D. Nomina exeuntia in a, b, d, e, l, m, n, r, t, in fine corripiuntur.
P. *Vnde ſcis tertiam eße breuem?*
D. Expoſitioue breuis ſyllabae.
P. *Quae nam iſta eſt poſitio?*
D. Vocalis ante uocalem corripitur; uti hic, poſt u ſequitur e.

P. *er nimi, qualis pes?*
D. Dactylus.
P. *Vnde ergo scis primam esse longam?*
D: Ex positione longae syllabae, quia post e sequuntur duae consonae r, & n.
P. *Vnde scis secundam syllabam ni eße breuem?*
D. Ex usu, siue auctoritate Poetarum, quia omnes istam syllabam corripiunt. ut: Crede mihi sapere est, non nimium sapere.
P. *Vnde scis tertiam mi esse breuem?*
D. Ex positione breuis syllabae, quia uocalem i, sequitur alia uocalis u.
P. *um ne, qualis pes?*
D. Est spondaeus.
P. *unde hoc scis?*
D. Quia prior syllaba est positu longa, posterior natura: Nam monosyllaba sua natura fere producuntur.
P. *crede co, qualis pes?*
D. Dactylus.
P. *unde scis primam eße longam?*
D. Ex usu, & auctoritate, ut apud Ouid.
Crede mihi, bene qui latuit, bene uixit: & intra &c.
P. *unde scis secundam eße breuem?*
D. Ex terminatione, & prius allata regula.
P. *Vnde scis tertiam syllabam co esse breuem?*
D. Ex usu. ut apud Ouid.
Palleat omnis amans, color hic est aptus amoris.

P. *lori, qualis est pes?*
D. Spondaeus.
P. *Vnde scis primam lo, esse, longam?*
D. Ex declinatione.
P. *Dic regulam*,
D. Nomina in Ar, & Or, assumta syllaba, paenultimas producunt.
P. *Vnde scis ultimam, ri, eße longam?*
D. Ex terminatione.
P. *Dic regulam.*
D. Desinentia in i, u, c, as, os, & us, quae u in obliquis retinent, longa sunt.
P. *Quis est tenor primae syllabae?* O.
D. Circumflexus.
P. *Quare?*
D. Quia est syllaba natura longa.
P. *Formose: quis est primas syllabas tonus, in hac dictione?*
D. Grauis.
P. *Quare?*
D. Quia inter pronunciandum grauatur, & deprimitur.
P. *Quis est tenor secundae syllabae, mo.*
D. Circumflexus.
P. *Quare?*
D. Quia, cum sit syllaba natura longa, non modo inter pronunciandum attollitur, sed etiam ducitur.
P. *Quis est tenor tertiae syllabae?*
D. Grauis.

Quare?

P. *Quare?*

D. Quia itidem ut prima, in pronunciando deprimitur.

P. *Puer, quem habet tenorem in prima.*

D. Acutum, quia in pronunciandum attollitur.

P. *O, qualem habet spiritum?*

D. Tenuem.

P. *Quare?*

D. Quia sine adspiratione tenuitur effertur. Atque hunc ad modum poterunt etiam & aliarum dictionum, & aliorum uersuum institui examina; etiam in Ciceronis sententiis, quae non sunt numeris poeticis deuinctae.

Examen Etymologiae, secundum artis huius praecepta.

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, nullus erit.

P. *Donec, qualis est dictio?*

D. Est aduerbium.

P. *Quale aduerbium?*

D. Temporis.

P. *Da aduerbia temporis.*

D. Heri hodie, cras, &c.

P. *Aduerbio, quot accidunt?*

D. Duo, Figura & species.

P. *Donec cuius Figurae?*

D. Simplicis.

P. *Cuius ſpeciei?*
D. Primitiuae.
P. *Eris qualis dictio?*
D. Verbum.
P. *Quale uerbum?*
D. Actiuum.
P. *Quale actiuum?*
D. Abſolutum, ſiue neutrum.
P. *Verbo, quot accidunt?*
D. Septem: Numerus, perſona, tempus, modus, ſpecies, figura, & coniugatio.
P. *Examina hoc uerbũ ſecundum iſta accidentia.*
D. Eris, eſt numeri ſingularis, perſonae ſecundae, temporis futuri, modi indicatiui, ſpeciei primitiuae, figurae ſimplicis, coniugationis tertiae, ſed irregularis.
P. *A quo themate.*
D. A ſum.
P. *Coniuga uerbum ſum.*
D. Sum, es, eſt, &c.
P. *Felix qualis dictio?*
D. Nomen.
P. *Quale nomen?*
D. Adiectiuum.
P. *Quale adiectiuum?*
D. Abſolutum.
P. *Quid ſignificat?*
D. Qualitatem.
P. *Nomini, quot accidunt?*
D. Septem: Numerus, perſona, caſus, genus, ſpe-

cies, figura, & declinatio.
P. *Examina nomen felix, ſecũdum iſta accidẽtia.*
D. Felix eſt numeri ſingularis, perſonae ſecundae, caſus nominatiui, generis omnis, ſpeciei primitiuae, figurae ſimplicis, declinationis tertiae.
P. *Quare eſt generis omnis?*
D. Adiectiua unius terminationis ſunt generis oĩs.
P. *Quae nomina comparatiua hinc formantur?*
D. Duo, feliciter generis communis: felicius generis neutri.
P. *Unde formantur?*
D. A datiui caſu in i: addendo or, & us.
P. *Quot ſuperlatiua inde formantur?*
D. Tria: feliciſſimus, feliciſſima, feliciſſimum.
P. *Declina Hic felix, felicior, feliciſſimus: haec felix, felicior, feliciſſima: hoc felix, felicius, feliciſſimum.*
D. Genitiuo, huius felicis, felicioris, feliciſſimi: felicis, felicioris, feliciſſimae, &c.
P. *Numerabis, qualis eſt dictio?*
D. Eſt uerbum.
P. *Quale uerbum?*
D. Actiuum.
P. *Quale actiuum?*
D. Tranſitiuum.
P. *Verba quot accidunt?*
D. Septem: Numerus, perſona, tempus, modus, ſpecies, figura, coniugatio?
P. *Examina uerbum hoc, ad iſta accidentia.*
D. Numerabis, eſt numeri ſingularis, ſecundae
perſonae,

perſonae, futuri temporis, indicatiui modi, ſpeciei primitiuae(niſi dicas deriuari a nomine numerus) figurae ſimplicis,coniugationes primae: a uerbo numero.

P. *Coniuga.*

D. Indicatiuo modo,tempore praeſenti, Singulariter: numero,numeras numerat,&c.

P. *Coniuga paßiuum numeror.*

D. Indicatiuo modo, tempore praeſenti, ſingulariter. Numeror, numeraris, uel numerare, numeratur.

P. *Examina uocem amicos.*

D. Amicos, eſt nomen ſubſtantiuum, commune, numeri pluralis,perſonae tertiae,caſus accuſatiui, generis maſculini,ſpeciei deriuatiuae, figurae ſimplicis, declinationis ſecundae, a nominatiuo amicus.

P. *Quare eſt generis maſculini?*

D. Virorum, officiorum uirilium, &c. nam hic ſubſtantiue pro uiro amico ponitur.

P. *Cuius eſt ſpeciei deriuatiuae?*

D. Denominatiuae,ſeu nominalis: Nã denominatur a nomine amor,ſicut& a pudore pudicus.

P. *Examina uocem Multos.*

D. Multos eſt nomen, & nomen adiectiuum, & abſolutum ſignificans quantitatem, ſeu numerum,numeri pluralis,perſonae tertiae,caſus accuſatiui: a nominatiuo multus, generis maſculini, ſpeciei primitiuae,ſimplicis figurae,declinationis ſecundae.

Quare

P. *Quare est generis masculini?*

D. Adiectiua trium terminationum, in prima sunt generis masculini.

P. *Quae comparatiua hinc formantur?*

D. Masculina, & foeminina in singulari nulla, in plurali plures, Neutrũ utriusque numeri plus.

P. *Unde formatur?*

D. Ab alio nomine, quod usus antiquauit.

P. *Quae superlatiua hinc formantur?*

D. Trium generum: plurimus, plurima, plurimũ.

P. *Declina, multus, plurimus: multa, plurima: multum, plus, plurimum.*

D. Singulari numero, Nominatiuo: Multus, plurimus: multa, plurima, &c.

P. *Si, qualis est dictio?*

D. Coniunctio.

P. *Qualis coniunctio?*

D. Condicionalis.

P. *Coniunctioni, quot accidunt?*

D. Duo: figura, & ordo.

P. *Cuius figurae, si?*

D. Simplicis.

P. *Cuius ordinis?*

D. Praepositiuae: Nam uerbo suo semper praeponitur.

P. *Examina uocem tempora.*

D. Tempora, est nomen substantiuum, commune, absolutum, significans quantitatem, numeri pluralis, personae tertiae, casus nominatiui, a nominatiuo singulari, tempus, ge-

neris

neris neutri.

P. *Quare.*

D. Nomina in us, tertiae declinationis, quae u, in obliquis mutant, ſunt generis neutri.

P. *Perge.*

D. Speciei primitiuae, figurae ſimplicis, declinationis tertiae.

P. *Fuerint, examina hoc uerbum.*

D. Eſt uerbum abſolutum, ſeu neutrum, numeri pluralis, perſonae tertiae, temporis futuri, modi ſubiunctiui, ſpeciei primitiuae, figurae ſimplicis, coniugationis tertiae irregularis.

P. *Examina uocem, Nubila.*

D. Eſt nomen adiectiuum, abſolutum, ſequens qualitatem, numeri pluralis, perſonae tertiae, caſus nominatiui, a nominatiuo nubilum, generis neutri, ſpeciei deriuatiuae, & quidem denominatiuae, ſeu nominalis. denominatio enim a nomine nubes, figurae ſimplicis, declinationis ſecundae.

P. *Declina tempus Nubilum.*

D. Nominatiuo ſingulari: tempus nubilum. Genitiuo: temporis nubili, &c.

P. *Perge ad reliquam.*

D. Eris, eſt uerbum abſolutum, ſeu ſubſtantiuum, numeri ſingularis, perſonae tertiae, temporis futuri, modi indicatiui, &c. ut ſupra.

P. *Solus, qualis dictio?*

D. Nomen adiectiuum, abſolutum, ſignificans quantitatem partitiuam, numeri ſingularis,

perſonae

perſonae ſecundae caſus nominatiui, generis maſculini: Nam adiectiua trium terminationum, in prima ſunt generis maſculini, ſpeciei primitiuae, figurae ſimplicis, declinationis ſecundae.

P. *Quo modo habet in genitiuo, & in datiuo.*

D. Solius & ſoli, more pronominum.

P. *Quae de ſe format comparatiua, & quae ſuperlatiua?*

D. Nulla: quoniam ſignificatio huius uoculae neque augeri, neque minui poteſt. Si quis plura interrogare, & totius Etymologiae examẽ uoluerit inſtituere, huic eſto liberum; dummodo his ueſtigiis inſiſtat, atque intra has iunctas ſe contineat.

Examen Syntaxeos ſecundum artis huius praecepta, ex eodem diſticho.

P. *Donec erit: qualis eſt conſtructio.*

D. Aduerbij cum uerbo.

P. *Per quam regulam?*

D. Aduerbia ſubiiciuntur uerbis, & eorundem participiis, ad explicandas actionum qualitates, & circumſtantias.

P. *Eris, quae conſtructio?*

D. Vtimur uerbis primae, & ſecundae perſonae, diſſimulatis fere pronominibus.

P. *Eris felix, qualis conſtructio?*

D. Nominatiuus ſequens uerbum.

Per

P. *Per quam regulam?*

D. Verba ſubſtantiua praecedunt, & ſequuntur nominatiui.

P. *Numerabis, quae conſtructio?*

D. Vtimur uerbis primae, & ſecūdae perſonae &c.

P. *Numerabis amicos, quae conſtructio?*

D. Accuſatiuus cum uerbo actiuo.

P. *Per quam regulam?*

D. Actiua uerba, & actiones &c.

P. *Multos amicos, quae conſtructio?*

D. Duo nomina in eodem caſu.

P. *Per quam regulam?*

D. Adiectiua, nomina, pro nomina, & participia cum ſuis ſubſtantiuis, &c.

P. *At ambo ſunt adiectiua? Dicimus.n. multus, multa, multum: & amicus, amica, amicum.*

D. Quando duo adiectiua concurrunt, alterum induit naturam ſubſtantiui, ut hic uox, amicus pro homine, aut uiro amico ponitur.

P. *Examina tu ſequentem uerſum, tua ſponte.*

D. Si fuerint; Coniunctio, aut ſimilia coniungit, aut nouam &c. Tempora fuerit nubila. Verba ſubſtantiua praecedunt &c. Eris, Vtimur uerbis primae &c. Eris ſolus, eſt prior regula. Et de his hactenus. Quae ut omnes boni, & ſolide docti, aequo ſuſcipiant animo, uehementer oramus.

F I N I S

STRIGILIS GRAMMATICA,

Qua Grammatiſtarum quorundam ſordes, Arti liberaliſſimae adſperſae, deterguntur.

AVCTORE

NICODEMO . FRISCHLINO

POETA . LAVREATO

COMITE . PALATINO . CAESAREO



VENETIIS . ∞ DXXCIV